

P. 6. 283


~~Misc. Misc., 1590 w. 1605  
v.~~

Con. Am.

Theologie

E. V. 389.





TRACTATUS  
**DE SACRO-**  
**SANCTA MAIESTATE,**  
AVTORITATE, FIDE AC  
CERTITVDINE SACRAE SCRIP-  
pturæ Propheticae & Apostolicae  
Veteris & Noui Testa-  
menti.

AVTORE  
**EGIDIO HVNNIO,**  
S. THEOLOGICÆ DOCTORE  
& Professore in Academia  
Marpurgensi.



**FRANCOFORTI AD MOENVM,**  
EXCVDEBAT IOANNES SPIESS.

ANNO M. D. XCI.

TRACTATUS  
DE SACRO  
SACRAMENTO  
EUCCHARISTIAE  
AUCTORITATE  
SACRAE  
SACRIS  
SACRIS  
SACRIS

AUCTOR  
EGIDIUS  
SACRIS




FRANCISCI AD  
SACRIS  
SACRIS

L 57



REVERENDIS-  
SIMIS DOMINIS SV-  
PERINTENDENTIBVS, CLA-  
RISSIMIS THEOLOGIAE DOCTO-  
ribus, cæterisque Ecclesiarum superioris Hafsia  
Pastoribus & Ministris fidelissimis, suis in  
Domino Symmistis, Collegis &  
fratribus honorandis

S. D.

 I cui incognitus &  
incompertus esset ar-  
morum signorumq;  
militarium vsus, nec  
de bellis antehac sci-  
uisset quicquã, sed ætatem suam  
omnem in perpetua pace exegif-  
set; is omnem operam ludi puta-  
ret, si videret magnis & effusis  
sumptibus ædificari armamen-  
taria, et in ea recondi tela, gladios,  
ficas, lanceas, pila, sclopetta, tor-  
menta, clypeos, scuta, galeas, lori-

) ( 2 cas,

P R Æ F A T I O.

cas, cæteraq; seu instrumenta seu  
ornamenta bellica. Quorsum  
enim attineat, magnificas eius-  
modi opes in id infumere, cuius  
nullus videatur esse in rebus hu-  
manis fructus? nulla utilitas? per-  
inde ac si pecunias in profluen-  
tem conijcias, aut in res super-  
uacaneas atque nihili inconсульта  
stoliditate effundas & prodigas?  
Et certè quamdiu viget optata  
pax atque tranquillitas: tamdiu  
talis structuræ, talis item panop-  
liæ nullus vspiam apparet vsus.  
Quando autem hostis aliquis ex-  
oritur, concitatisq; bellorum aut  
seditionum motibus, de quiete  
pristina sua deijciuntur homines:  
ibi verò ad arma conclamatur &  
concurritur, ibi panditur arma-  
mentarium, suppeditantur inde  
tela,



P R Æ F A T I O.

tela , subministrantur gladij & lanceæ, proferuntur arma omnis generis, signa depromuntur militaria , conscribuntur militum manus atque copiæ, quæruntur & adhibentur bellorum præsidia, vt ornamenta publicæ tranquillitatis atq; otij vel contra iniustam vim facta tecta retinere, vel amissa postliminiò reducere & recuperare liceat. Eodem ferè modo res Ecclesiæ in hoc mundo comparatæ sunt. Effet equidem optanda stabilis ac perennis in ea pax: effet, si qua ratione fieri posset, magnis etiam sumptibus redimenda illa docentium iuxtà & discipulorum suauissima συμφωνία, profligatis peruersis opinionibus, extinctis fatalium dissidiorum funestis facibus, cunctisq;

) ( 3 sub

P R Æ F A T I O.

sub veræ fidei vnitatē conformi-  
tatemq; reductis & redactis. Sic  
enim capita religionis ad vnum  
omnia citra odiosam discepta-  
tionem liceret simplicissima te-  
nere fide; sic Scripturæ sacræ sua  
constaret inconuulsa dignitas;  
sic Trinitatis arcanum; sic myste-  
rium Incarnationis Filij DEI; sic  
Christi ad dextram virtutis infi-  
nita maiestas; sic nostræ salutis  
sedes, ille necessarius de Iustifica-  
tionelocus; sic Articuli totius fi-  
dei Christianæ reliqui, nobis no-  
strisq; posteris absq; infestis illis  
& infaustis concertationibus sal-  
ui integriq; manerent. Verùm  
hæc tam iucunda halcyonia o-  
ptantur citiùs, quàm impetran-  
tur in hoc corruptissimo longéq;  
exulceratissimo seculo, in quo ne  
quidem

P R Æ F A T I O.

quidem ad exigui temporis respi-  
rationem concessæ induciæ sunt.  
Perpetua hîc militia est inter Ec-  
clesiam veram & cōgregationem  
malignantium. Nulla pax, nulla  
communio est, nullumq; con-  
fortium Christo cum Belial, luci  
cum tenebris, iustitiæ cum iniu-  
stitia, veritati cum mendacio,  
Electorum deniq; cœtui cum  
Satanæ organis, eiusq; Diabolicæ  
impietatis satellitibus & admini-  
stris. Vt enim irrequietus ille Spi-  
ritus suum exuat ingenium, &  
desinat oppugnare vel Ecclesiam  
vniuersam, vel singula eius mem-  
bra: id nulla vnquam vel ratione  
vel oratione ei persuaseris. Altiùs  
apud illum infedit odium, quo  
iam inde à mundi origine flagrat,  
furit & æstuat in electos, quàm  
vt eius

P R Æ F A T I O.

vt eius extirpandi vlla spes eluce-  
at. Hinc adeò fit, vt inexpugnabili  
proposito pergat excitare proter-  
ua, & ad perniciem cùm suam  
tùm aliorum profligata ingenia,  
homines videlicet mente corru-  
ptos, & circa fidem reprobos; qui  
non tantùm Articulos nostræ  
confessionis ausu nefario atten-  
tent: sed omninò Pyrrhonio-  
rum exemplo atque modo in  
vtramuis omnia disputare par-  
tem gloriosum sibi ducant, atq;  
adeò ipsa principia Christianæ  
Religionis in dubium vocare  
neutiquam perhorrescant. Quin  
cessantibus etiam his, non tamen  
cessat aut interquiescit Diabolus,  
qui veram Dei & Christi noti-  
tiam tanquam salutis omnium  
fidelium arcem & commune  
propu-

P R Æ F A T I O.

propugnaculum acerrimis conatibus oppugnat: atque haud rarò ipsius Scripturæ sacræ veritatem, offusis densissimis tenebris, obnubilare quoquo modo studet: vt quibus armis cunctas alias tentationes superant electi, ea è manibus, imò verò è cordibus simul & semel vno velut ictu nobis excutere moliatur.

Quanquam igitur hoc libello, quo demonstrationes ad faciendam fidem veritatemq; Scripturarum comparatas sum complexus, nihil videtur esse opus, extra hunc acerbissimum paroxifimum tentationis Diabolicæ: tamen hæc firmamenta certitudinis in promptu & conspectu semper habere eò confert, vt cùm flagitârit vsus, ex hac velut ὀπλοθήκη salutaria

) ( 5 lutaria

P R Æ F A T I O.

lutaria tela depromi queant, & arma proferri, quibus in certamine superari malignus ille tentator, & elidi spirituales eius astutiæ, solidaque victoria, ritè peractis omnibus, obtineri queat. Cum primis verò par est, vt hæc profunditates Satanæ non ignorent ij, quos Dominus in excubijs, vigilijs, custodijsq; gregis sui constitutos voluit, vt si quando auditorum animi lethiferis istis cogitationib<sup>9</sup> feriuntur: habeant Pastores apta præsidia, habeant modis omnib<sup>9</sup> instructum & apparatus promptuarium, è quo profligandis iaculis ignitis Satanæ & edubitationibus extricandis hominum conscientijs idonea *κρίτηρια* certitudinis desumi, remediaq; adhiberi possint. Placuerunt

P R Æ F A T I O.

cuerunt mihi valdè, quæ ad hoc  
argumenti genus explicandum  
scripsit neruosè admodùm ma-  
gnus ille Theologus, D. Iohan-  
nes Brentius sanctæ beatæq; me-  
moriæ, in proœmio, quod scri-  
psit super libros Biblicos, vbi ex-  
professo refutat profanos illos E-  
picureos; qui, vt ipse loquitur, in  
causa publica religionis suauiter  
secum rident, quòd homines pro-  
pter res, vt ipsi iudicant, incertif-  
simas & inutilissimas tam peri-  
culosa certamina suscipiant. Qui  
sanè tractatus mihi tam graui-  
ter eruditèq; scriptus videtur, vt non  
solùm argumenta, quibus pu-  
gnat, sed quasdam etiam illius  
sententias in hoc opusculo reti-  
nendas duxerim. Legi & aliorum  
hac de re pias meditationes. Co-  
gitauit

P R Æ F A T I O.

gitauit ipse quoque pro mea tenuitate, & quæ hanc ad rem solidè confirmãdam aliquod momentum afferre videbantur, in hoc opusculum congeffi: quæ etiam pro mea in Ecclesiam Christi perpetua voluntate fideliter alijs communicanda statui.

Et quoniam hic labor omnium maximè diuini verbi Ministris ad conscientiarum informationem, ita requirente necessitate, utilis & fructuosus est: idcirco vobis, Reuerendi, Clarissimi, doctissimiq; viri, prædilectæ Hassiæ nostræ Superintendentes, Doctores, Pastores & Ministri omni pietatis & virtutum laude ornatissimi commendatissimiq;, hoc, quicquid est, vestro potissimum nomini sacrum esse volui: non quòd



P R Æ F A T I O.

quòd aliquid in lucem proferam,  
quod hæctenus vos latuisse pu-  
tem ; sed vt de his vlteriùs cogi-  
tandi vobis ansam quandam  
porrigam ; & vt mei in vos since-  
ri amoris , adeoq̃ue mutux in  
Christo coniunctionis nostræ  
publicum aliquod extet symbo-  
lum & testimonium. Deuincit  
quippe nos non tantùm ille Haf-  
fiacarum Ecclesiarum orbis atq̃  
circulus, qui nos ambitu suo con-  
tinet : sed quod multò est am-  
pliùs, eiusdem muneris officijq̃  
societas ; addo, eiusdem fidei, eius-  
dem doctrinæ, eiusdemq̃ Con-  
fessionis indiuisa communio ;  
quæ ad solidam ineundam a len-  
damq̃ue amicitiam & fraternita-  
tem omnium firmissimum est  
fundamentum atque vinculum.

Quem-

PRÆFATIO.

Quemadmodum enim nihil æ-  
què dissociat hominum animos,  
atq; exitiosa illa dissensio in rebus  
fidei: sic vicissim nihil tam arctè  
tamq; firmiter eorundem corda  
conglutinat, quàm si idem senti-  
ant de Deo, idem de Seruatore  
Christo, idem de negotio salutis,  
idem de omni religione: cuius ar-  
cana nobis tanquam dispensa-  
toribus mysteriorum Dei castè  
integrèq; tractanda sunt concre-  
dita. Hanc Deo gratam Eccle-  
siæque salutarem concordiam,  
*συμφωνίαν* & consensum in doctri-  
na fidei, vt clementissimus Deus  
in his extremis furoribus Diaboli  
& mundi, nobis diuturnam &  
bene stabilem esse velit: est quod  
æternum illius Numen ardenti-  
bus votis precemur, indefessèq;  
solici-

P R Æ F A T I O.

solicitemus : qui solus inchoatum in nobis opus bonum conferuare & corroborare nouit, usq; ad diem Domini Iesu ; cui vnâ cum Patre in vnitate Spiritus sit laus, gloria, & imperium sempiternum, Amen.

*Vester in Domino*

*Egidius Hunnius D.*

IN

IN LIBRVM DE SA-  
CROSANCTA SCRIPTVRA  
REVERENDI ET CLARISSIMI VIRI  
D. EGIDII HVNNII, sacrae THEOLOGIAE  
Doctoris, & eiusdem Professoris in inclyta  
Marpurgensium Academia, opti-  
mè de Ecclesia Christi  
meriti.

**V**T nitet & fulget sumptis exercitus armis,  
Hostibus aduersis incutit atq; metum:  
Sic munita probè mens contra demonis astum,  
Scripturae gladio praesidijsq; sacris,  
Nil timet insultus, nil argumenta dolosq;  
Sive tuos Satana, sive Sophista tuos.  
Hanc armaturam diuina volumina monstrant:  
Dant gladios, hastas, spicula, scuta, manus.  
Dant, quibus armati nostros inuadimus hostes:  
His quicumq; caret miles, inermis erit.  
Sed genus est hominum, quod scripta Prophetica vanis  
Postponit nugis, quisquilijsq; suis.  
Ab solidi contra quicumq; capeffitis arma:  
Quid? nisi vos ipsos pungitis ense fero?  
Cur imperfectam, cur mancam dicitis esse  
Scripturam? nonne est dulce salutis opus?  
Purior est Auro, Crystallo clarior omni:  
Nil habet obscuri, nil habet ambigui.  
Nitimur hac una recte: quia nostra lucerna est:  
In tenebris mundi solaq; monstrat iter.  
Quem pudet hoc posito vestigia ponere lychno:  
Is ruat in tenebras Tartareosq; lacus.

M. Matthæus Baderus Landoënsis, Rhenanus,  
Scholæ Francofurd. Rect.

DE

# DE MAIESTATE INDVBITATAQVE FIDE ACCERTITVDINE SA

CRAE SCRIPTVRAE

Propheticae & Apostolicae

Tractatus.

**D**ERICVLOSA DIFFI-  
ciliaq; tempora circa senescen-  
tis mundi nouissimam etatem  
futura esse Petrus Apostolus 2. Pet. 3.  
olim prænunciauit. Venturos  
enim illusores, qui, excusso me-  
tu venturi iudicij, religionem omnem pro ludi-  
brio habeant, secundum proprias concupiscentias  
ambulent, & in voces effuse blasphemias atq; im-  
prias erumpant, dicendo: Vbi est promissio aduen-  
tus eius? Siquidem ex quo patres obdormierunt,  
sic omnia permanent ab initio conditionis. Et  
hæc quidem hominum mente corruptorum pro-  
fligata securitas cum irrisione oraculorum Dei  
flagitiosissime connexa & coniuncta, non mini-  
ma pars est extremi conatus Satanae, de quo Ioan-  
nes in libro *Mysteriorum Dei* (*Apocalypsin dico*)  
manifestè concionatur, scribens: *Vae habitanti-  
bus in terra & in mari, quia Diabolus descendit  
ad vos, habens iram magnam, sciens quòd modi-*

A cum

## 2 DE MAIEST. ET CERTIT.

*cum tempus habet. Etenim quia malignus ille Spiritus extremi iudicij diem pro foribus esse persentiscit, ubi amputata occasione nocendi fidelibus, ad perpetuæ condemnationis carceres relegabitur, ut unâ cum suæ perfidiæ socijs & administris ardeat in illis gehennæ sempiternis ignibus: hinc adeo indefessa incredibiliq; contentione nihil non tentat, nullum non mouet lapidem, & nullas non astutiæ potentiæq; suæ machinas profert, ut quàm plurimos in eam, de qua Petrus loquitur, securitatem, abreptos, unâ secum in illius nūquam finienda damnationis barathrum præcipites agat. Quam ad rem cum primis hoc sibi plurimum conferre censet, si hominum cordibus detestabilem eam persuasionem instillet, quòd sacra scriptura Prophetica & Apostolica (quam uno nomine Biblia vocamus) non à Deo inspirata cœlitus, sed paucorum quorundam uafricie ad simplicem popellum in officio continendum excogitata, ac postmodum sub prætextu & subdola commendatione ueritatis cœlestis orbi obrusa sit. Quam sanè exitiosam opinionem quia Satan non ijs tantum suggerit, quos in sua obsequia iuratos sibi, ac pulchrè obsequentes habet; sed nonnunquam etiam piorum animos funestis hisce tentationum telis vulnerare satagit: negari non potest, quòd precium operæ faciant*

faciant ij, qui ad firmandam Scripturae fidem nonnunquam hoc etiam argumenti genus ita pertractant, ut è Spiritus sancti officina tela proferant, & arma subministrent, quibus immanis Eph. 6. ille Draco infernalis possit confici, iacula ignita 2. Tim. 2. ipsius, intenta non iugulis, sed animabus hominum, potenter elidi, homines ipsi verò, superatis in re tanta dubitationum procellis atq; fluctibus, ad portum certitudinis appellere, & in solida rupe veritatis acquiescere valeant.

Quapropter tametsi volumen hoc Scripturae Propheticae & Apostolicae iam antè apud nos summo suo merito sacrosanctum haberi debet: attamen cum in obscuranda eius veritate tantum sit molimen Diabolorum, tanta vicissim cordis humani incredulitas, ut in huiuscemodi paroxismo non nisi firmissimis praesidijs & inuictis demonstrationibus expugnari possit: rem Deo gratam & Ecclesiae ipsius non infrugiferam facturum reor, si, quibus columnis superstructa sit Scripturae veritas, solide & dilucide hoc Tractatu commonstrauero. Recitabo ordine  $\chi\rho\iota\tau\eta\pi\iota\alpha$  certitudinis, quae Scripturae Biblicae maiestatem irrefutabiliter astruant & euincant.

ARGUMENTVM I.

ab Antiquitate.

Ac primùm demonstratur ea illustri argu-  
mento,

A 2

mento,

mento, quod ab Antiquitate ducitur. Res ipsa clamat, historiam Mosaicam omnibus omnium gentilium libris, monumentis, historijs, & Annalibus, aliquot seculis esse priorem. Hæc quippe sola certum mundi huius exordium ostendit; hæc indubiam annorum seriem, qua duravit mundus, constituit; hæc humani generis originem; hæc regnorum imperiorumq; principia, & successionem monstrat, de quibus muti sunt reliquorum historicorum gentilium libri. Quamvis enim Autores profani, ad illustrandam eam, in qua nati sunt, gentem, non dubitârunt populorum suorum originem ad multa retrò secula extendere; ut vetustatis opinionem eis conciliarent: tamen adeo est illorum futilis & absurda narratio, ut illius vanitas semetipsam reuellat & confundat, in prodigiosissimas deniq; fabulas desinens ac evanescentes. At Mosis narratio sic est comparata, ut ipsa sibi constet per omnia, & cum rebus, quas memorat, historiaq; mundi quàm pulcherrimè concordet, atq; ~~in super circa res non exigui momenti, consentientes habeat etiam scriptores profanos & exteros,~~ ut suo loco paulò post dicitur. Et sanè creationem rerum omnium, sanctificationem Sabbati, iam inde ab orbe condito in Patriarcharum Ecclesia observati, ut Genesios 2. legitur, historiam item diluuij, & Patriarcharum,

quin



SCRIPTURAE SACRAE. 5

quin & Circumcisionis sacrum, atq; alia complura, Moses non ut res novas ac prius inauditas Hebraeis proposuit: sed ut rem uniuersa genti Israëlitica probè cognitam & per vulgatam. Sicut totius doctrinae Patribus à Deo traditæ, infallibile sigillum habebant Circumcisionem, quam exactè norant non Mosis institutione demùm introductam, sed iam inde à Patribus acceptam, suæq; carni sic impressam, ut omni suspicione fraudis ac nouitatis necessario vacaret. Atq; huius, de qua modo nobis sermo est, Antiquitatis doctrinae & scripturae Propheticae documentum Herodoti narratio nobis subministrat, qui literas per Cadmum ab Orientalibus & Iudeis ex Phœnicia primùm in Græciam allatas esse refert. Arguit doctrinae vetustatem lingua etiam, in qua Moses sua volumina scripsit & vulgauit. Hebraeam namq; linguam omnium esse primam & antiquissimam, multis rationibus euincitur. Declarant id omnia omnium Patriarcharum, ante & post diluuium, nomina: veluti, Adam, Abel, Cain, Seth, Enos, Enoch, Noah, Sem, &c. quos constat his nominibus ex Hebræo sermone ortis fuisse appellatos, antequàm linguarum fatalis illa accideret vel confusio vel diuisio. Ostendunt id eorum etiam Patrum nomina, à quibus gentiles populi suam originem traxere. Etenim

ferre unum  
nisi hinc  
dotj

A 3 Iaphet

## 6 DE MAIEST. ET CERTIT.

Iaphet (qui etiam profanorum autorum scriptis monumentisq; celebratur) Cham item, Nimrod, Assur, Chus, Mizraim, &c. Hebraea utiq; sunt nomina, de linguae huius antiquitate palam testificantia. Quid? quod summorum in mundo Imperiorum nomina sacrosancta vetustatis Hebraeae linguae clarissima sunt documenta & testimonia? Vetustissimum omnium fuit regnum Babylonicum & ciuitas ipsa Babylon, praecunctis penè totius orbis terrarum urbibus decantata historiae sacrae & profanae monumentis atq; literis. Quod tamen nomen ex Hebraeae linguae fontibus emanasse, nemo est qui inficias ire vel ausit vel possit: Siquidem Babel Hebraeum est, confusio-nem significans, & ab euentu, qui eo loco accidit, tristi videlicet confusione linguarum, urbem eam denominans. Haud secus antiquissimum regnum Assyriorum celebri suo nomine Hebraeae linguae vetustatem arguit. Quandoquidem nomen id ad nullam nisi Hebraei populi linguam, originis ratione, potest referri, deriuatum quippe ab Assur, imperij istius primo conditore, cuius nomen ex Hebraica natum lingua beatum seu felicem significat, eiusq; haud obscura mentio fit, Gen. 10. Plura exempla proferri possent; sed ad praesens institutum haec pauca delibasse sufficiat. Cum igitur Hebraeam linguam omnium esse primam & vetustissi-

tustissi-

tustissimam, ne quidem Ethnici negare queant: patet isthinc, antiquissimam quoque, & proinde purissimam optimamque de Deo doctrinam, cultum & religionem retinuisse eos, qui in illa horribili confusione linguarum communibus pœnis inuoluti non fuerunt, sed primæuam & originalem retinuerunt linguam in qua Patres ante diluuium, multoque post, doctrinam diuinitus acceptam, uia uoce tradiderunt, & post factam linguarum diuisionem, hi illorum posteri ut sacrosanctum depositum religiosissime asseruauerunt in familia Heber, à quo lingua ipsa nomen suum est sortita, in perpetuum monumentum retenta lingue primæuæ, & unâ cum hac custoditæ doctrinæ, quæ in ea lingua præteritis seculis fuit tradita: cum interim quarumcunque aliarum linguarum populi unâ cum lingua Hebræa etiâ doctrinam cœlestem amisissent, & ad manifestos furores idolatricos descisissent. Esto hoc primum τεκμήριον indubiæ ueritatis Scripturarum.

SECUNDVM ARGVMENTVM  
ab ipso doctrinæ genere, & rerum,  
quas tractat, maiestate  
desumptum.

Iam si in res ipsas, quas liber Bibliorum continet, sigillatim oculos defigas: tot cernes in eo di-

8 DE MAIEST. ET CERTIT.

uine claritatis accensas lampades, quot sententias animaduertes: E' quibus tanto fulgore numinis animum tuum undiq; irradiari comperies, ut protinus ex ipsarum reru dignitate aestimare liceat, incomparabili prorsus interuallo hunc librum supra ceterorum sortem eminere, ipsiusq; Dei autoris ad nostrum colloquium in eo prodeuntis gloriam propè manibus palpandam subijcere. Et ut debito discrimine ponderentur singula: Sunt primò quedam in Scripturis, quæ hominibus naturâ sunt nota; ut particula quedam Legis inscripta cordib<sup>9</sup> hominum. Sunt aliqua in ijs, quæ ex Patrum narratione, aut fama publica gentilibus innotuerunt, ut pars quedam historiae populi Dei, quin etiam instituti cultus externi partes nonnullæ, velut; Sabbathum, Circumcisio, Sacrificia, aliâq; permulta, de quibus erit infrâ dicendi locus. Tertio autem, si descendimus ad ipsum doctrinae genus, Ecclesie Dei proprium, & ad mysteria regni cælestis, quæ sacris literis traduntur: ea si vel mediocriter expendas, omnem sensum humanae rationis effugere, & non nisi à Dei Spiritu reuelari potuisse, ultro fateberis. Cuiusmodi sunt; adorandum illud Trinitatis arcanum; mysterium Incarnationis filij Dei; consilium redemptionis ab ultima aeternitate in Deo propositum, & sub plenitudinem seculorum  
opere

opere completum; modus ipse quoque reparationis  
 & iustificationis humani generis. Hæc & alia,  
 tam sub sublimia, ut humanitus concipi non  
 potuerint, tam undiquaque cœlestia, ut nihil  
 usquam terreni redoleant, sic porro cum sensu hu-  
 manæ intelligentiæ pugnant, ut suis interim cer-  
 tis ac solidis rationibus sibi quàm optimè con-  
 stent, superbaque sapientiæ mundanæ iudicium  
 maiestate sua reprimant & compescant. Qua-  
 propter etsi iam (posteaquam Scripturarum be-  
 neficio patefacta sunt hæc arcana) fortè profanis  
 mentibus videantur ab humano ingenio confin-  
 gi concipi que potuisse: tamen qui in res ipsas eo, quo  
 dictum est, modo penitus introspererit: tacito  
 conscientiæ testimonio conuictus fatebitur, tam  
 abstrusa reconditaque hæc esse mysteria, ut nisi  
 hunc in modum patefacta essent diuinitus, ad eo-  
 rum adyta ne quidem totius mundi sapientiæ pe-  
 netrare, vel saltem per quietem de ijs quicquam  
 somniare potuerit. Quod multò etiam patebit  
 clariùs, si facta collatione perpendas, quàm longè  
 infra sublimitatem istarum rerum omnia, quan-  
 tumuis accuratissima Philosophorum scripta mo-  
 numentaque, subsidant, & quàm profundum de  
 misterijs hisce sit apud ipsos silentium. Ut res ex-  
 emplo non careat; dubium non est, quin si acu-  
 men illud ingenij respiciamus, vix quisquam ex

A S gentili

gentili vetustate fuerit Aristotele superior, qui ob profundissimam rerum in natura cognitionem à doctis inter mundi miracula connumeratur. At, si legas in huius viri scriptis, quae maximè accurata & sublimia habet, veluti *Metaphysica* eius (hac enim ipsius quasi *Theologia* est) aut ubi de primo motore differit, & doctrinam de Deo attingit: acumen sanè rationis admirabile, de religionis autem nostrae mysterijs ne tantillum quidem reperies: Et quae disputat de Deo, vel ipse, vel praeceptor eius Plato, ad eiusmodi certè reuerentiam numinis pietatisq; sensum (cuiusmodi sacrae Scripturae lectio mouere solet) incutiendum, planè dices inualida, utpotè quae legentium animos aequè profanos & frigidos, ac nihilo sanctiùs erga Deum affectos dimittunt, quàm quales initio acceperant. Haec, quae dico, verè se ita habere, pij omnes palàm intelligunt. In vno certo Psalmo Davidis, in vno capite Prophetae aut Apostoli alicuius plus cernes religionis, plus diuinae maiestatis senties, plus animaduertes caelestis sapientiae: validiùs item animum tuum ipsarum rerum dignitate percelli & sanctiùs affici deprehendes, quàm si cunctos Platonis & Aristotelis euoluisses libros, aut vniuersam Graecorum sapientiam ad unguè perdidicisses. In alia profecto regione te ver-

sari,

sari, & res multò alias, quàm quæ humanitùs  
 concipi potuerint, te audire, nisi deploratus stu-  
 por animum tuum penitùs obsedit, ultrò con-  
 firmabis. Nequaquam igitur vano titulo, sed  
 longè verissimo præconio Divus Apostolus  
 Evangelicæ doctrinæ maiestatem à doctrinæ ge-  
 nere commendans, scribit passim: quòd mundus  
 in sua sapientia Dei sapientiam non potuerit  
 comprehendere: quòd Apostoli per Evangelij  
 annunciationem in lucem proferant imperuesti-  
 gabiles diuitias Christi: quòd eius mysterij com-  
 munionem annuncient, quòd temporibus æter-  
 nis tacitum, & à seculis in Deo absconditum cur-  
 òtis alijs ætatibus non innotuerit filijs hominum,  
 neq; quisquam principum huius seculi ad eius al-  
 titudinem conscenderit, donec id tempore præfi-  
 nito per scripturas Propheticas iuxta delegatio-  
 nem æterni Dei in omnes gentes sit manifesta-  
 tum. Sunt alia insuper arcana & multa & ma-  
 gna, quæ Scripturæ liber nobis pandit: putà de  
 lapsu hominis, de peccato originali, de causis cala-  
 mitatum in vita hominis, quòd fiat, quòd nobilif-  
 sima creatura, ob quam hoc totum opificium con-  
 ditum esse ipse rerum ordo arguit, tot malis, tot  
 erumnis obnoxia exposita q; sit: de iustitia item,  
 de resurrectione corporum, de extremo iudicio, de  
 vita æterna: de quibus omnibus nihil solidi vel  
 tradit

12 DE MAIEST. ET CERTIT.

*tradit vel nouit ratio, aut philosophia humana. Videmus, non longa nec procul accersita demonstratione egere Scripturam sacram ad suam & autoritatem & certitudinem asserendam: siquidem quocumq; in ea incidimus, adeo promptam & obuiam Dei in ea loquentis presentiam deprehendimus, ut oculis designari, ac digitis notari posse videatur.*

TERTIVM ARGVMENTVM

à genere sermonis,

*Iam verò quòd sermone simplici, & si cū pompa oratorū conferas, rudi insuper ac inculto, Spiritus sanctus pleraq; describit: id adeo de dignitate Scripturæ nihil diminuit, ut ad eandē euincendam vix quicquam illustrius proferrī queat. Dubium enim non est, singulari consilio Dei factum, ut ardua hæc sublimiaq; regni cælestis arcana sermone describerentur, à splendido & oratorio dicendi genere remoto, ac propè neglecto, ne si nitidiore cultu humanæ eloquentiæ exornata essent, obtenderent infideles, solam eloquentiæ vim ad afficiendos animos hominum tantoperè valere. Nunc verò cū Spiritus sanctus rudi illo neglectoq; stylo ac filo sermonis efficacius mentes hominum percellat, & sui reuerentiam maiorem incutiat, quàm vlla vel ad miraculum vsq; elaborata oratorum facundia: quid aliud relinquatur,*



quitur, quàm ut cum Apostolo concludamus, simplicem hanc Dei stultitiam, mundi totius sapientiam superare & confundere? ac illustriorem esse veritatem Scripturæ, quàm ut ad sui commendationem, ullam verborum elegantiam desideret. Cuius rei exemplum proponit Apostolus, suum, inter Corinthios, ministerium, ostendens prædicationem suam non persuasorijs humanæ sapientiæ verbis: sed potentia Spiritus armatam fuisse, ut Dei virtute, non hominum sapientiâ, fides eorum niteretur. Ut maximè igitur Spiritus sanctus arcana regni sui nulla pompa verborum ambitiosè venditet: tamen in ipso genere sermonis, simplici illo quidem, sed quod rerum maiestate præpolleat, dictantis & inspirantis Dei sapientiam, atq; adeò non dubiam vim numinis illic vigere, piorum quisq; palàm intelligit.

ARGUMENTVM QVARTVM  
à miranda harmonia & connexione  
omnium partium Scri-  
pturæ.

Sed & suavissimus ille totius corporis Scripturæ consensus & compages, omniumq; partium doctrinæ in ea traditæ coherentia, & Articulorum fidei nostræ perpetua nullibiq; interrupta catena, & unius ex altero capite miranda dedu-  
Etio;

*Etio; nonne perspicuè demonstrat, huic codici Bibliorum nullum alium, quàm Deum autorem posse assignari? Harmonia consensioq; eius tanta est, ut in omnibus illis libris, qui Canonica Scriptura nomine veniunt, nihil planè dissonum occurrat, sed inconcussam, invariabilem, & nusquam à semetipsa dissentientem veritatem constantissimè proponant. Quare licet distincti illi libri à Scriptoribus diuersis disiunctissimis ætatibus atq; seculis sint scripti: vnus tamen idemq; Spiritus, autor & dictator eorum omnium sic deprehenditur, ut & Propheta inter sese, & hi cum Apostolis vndiquaq; concordent, & sancto consensu ad vnã simplicem veritatem, ceu præfixum scopum, colliment. Quod enim quidam religionis hostes olim antilogias ex Scripturae libris astruere, ad imminuendam eorum autoritatem sunt moliti; quàm illi hoc suo perfido conatu in nihilum euanuerint, manifestum est. Et apparens illa dissonantia non aliunde oritur, quàm vel ex linguarum ignoratione, vel minùs diligenti consideratione scopi, quem singulis locis intendit Scriptura, vel ingeniorum humanorum petulantia, quæ rectè dicta in sensum à mente Spiritus sancti alienum detorquet. Vicissim autem ex proprietate linguarum, ex phrasi, ex analogia fidei, ex vniuerso Scripturarum*

rarum καὶ ἑρμηνείᾳ, ex antecedentium cum consequentibus iunctura, ex scopo denique & occasione dictorum, nullo negotio conciliantur ea, quibus aliqua videtur inesse dissensionis species. Porro hic quasi concentus Prophetici & Apostolici chori, ut in omnibus doctrinae partibus apparet: sic vel in primis in concordante illo mutuoque respectu veteris & novi Testamenti cernitur, qui & per duos Cherubin, super arcam propitiatorij sese mutuo respicientes, est adumbratus. Quae enim Patres sub veteri populo per figurarum umbras, visiones item Propheticas, eminens aspexerunt: haec eadem in plenitudine temporis impleta & euentu illustrata esse, Novi Testamenti scriptores elegantissima consensione testatum faciunt. Haec collatio utriusque foederis & utriusque in utroque sacerdotij & sacrificij, omnium item capitum doctrinae Articulorumque fidei catena aurea illa (gratia cuius unus semper ex altero connectitur, & vicissim in priorem, unde dependet, mutuo complexu sese insinuat, atque adeo cuncta suis columnis & undiquaque mirabiliter consentientibus rationibus constant) Haec omnia, inquam, Deum ipsum autorem designant, è cuius veluti manu hic liber caelitus ad nos sit demissus.

ARGV.

## ARGUMENTVM QVINTVM

ab ipsius Spiritus sancti testimo-  
nio interno.

*Sed & hoc veritatis doctrina Prophetica & Apostolica κριτήριον est, quòd Deus ipse arrhâ bone sui Spiritus certitudinem eius in piorum cordibus obsignat. Et hoc quidem argumentum omnium est ut tutissimum ita efficacissimum ad sancendam fidem Scripturarum, quando illas unâ cum promissionibus, quas continent, ipsius Dei calculo suffragioq; muniri, imò verò plus quàm transcœlesti sigillo planeq; diuino confirmari, in suo corde sentit uniuersa turba omnium in terris fidelium. Huius namq; argumenti soliditatem percipiunt non homines profani; sed pij duntaxat & fideles, qui gratiam Dei diuinorumq; promissorum certitudinem arrhâ Spiritus in se efficaciter obsignari intelligunt. De quo ad Romanos scribit Apostolus: Non accepistis Spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed accepistis Spiritum adoptionis, per quem clamamus: Abba Pater. Idem Spiritus testimonium perhibet nostro Spiritui, quòd simus filij Dei. Si filij, & hæredes; hæredes quidem Dei; cohæredes autem Christi. Et 2. Cor. 1. Porro qui confirmat nos unâ vobiscum in Christum, & qui unxit nos, Deus est: qui etiam obsignauit nos, deditq;*

ditq; arrham Spiritus in cordibus nostris. Et ad Ephesios hortatur nos, ne turbemus illum Spiritum sanctum Dei, per quem obsignati sumus in diem redemptionis. Sicut & primo capite eius Epistolae, Fideles, qui audito verbo veritatis, Euangelio salutis nomen dederint, obsignatos esse scribit Spiritu promissionis sancto, qui sit arrhabo hereditatis nostrae. Egregie igitur hic liber Scripturae Biblicae ex reliquo vulgo humanorum scriptorum eximitur, quod hic solus coniunctum habet infallibile testimonium Spiritus sancti, qui per hoc verbum corda reddit tranquilla & pacata, suppeditat robur, & letitiã excitat filiali planè fiducia, in Deo ceu charissimo Patre acquiescentem: id quod apud se fidelium quisq; deprehendit. Quae uniuersalis piorum omnium experientia τερμῆνον est omni exceptione maius, doctrinam Prophetarum & Apostolorum verè diuinam esse, ut pote cuius efficaciam sancti in se ipsis manifestè sentiunt.

SEXTVM ARGVMENTVM

à consolationis effectu

sumptum.

Porro, sicut Spiritus sanctus certitudinem verbi & promissionis de salute nostra potenter obsignat: Sic per idem verbum sese verè paracle-

B

tum

tum & Spiritum fortitudinis ac consolationis declarat. Etenim quàm viuam & efficacem consolationem Spiritus sanctus per hoc salutare organum in hominibus ciere, & in quibusuis afflictionibus, præsertim conscientie terroribus, suppeditare soleat: ij demùm verè sentiunt, qui se pietati vero ardentiq; studio addixerunt. Vt exemplis nonnihil rem illustrem: quid simplicius dici possit, quàm quod apud Ezechielem legitur: *Viuo Ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & viuat.* Et quod Christus apud Matthæum inquit: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, Ego reficiam vos.* Similiter illud Iohannis: *Filioli, hæc scribo vobis, ne peccetis, & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non nostris tantum, sed totius mundi.* Nihil hic vel ornatus vel humani acuminis: consolationis verò ea vis, ea ubertas, quam nec humanorū ingeniorum angustia complecti, nec lingua vlla pro dignitate possit explicare. Sentiunt profectò ex his & consimilibus Scripturæ sententijs veri fideles eiusmodi sensum & gustum viui solatiij, quem (præsertim in grauioribus conscientie certaminibus) ne quidem cum diuitijs mundi per mutare sustineant.

sustineant. Confer huc, si placet, cuncta monumenta gentilis eloquentiae sapientiaeque, ex quibus in unum collectis nec micam solide consolationis possis depromere, maxime quando sensus irae Dei iudicijs clarioribus se ostendit. Ac Scriptura sacra ceu instructissimum pharmacopolium est, ex quo contra omnes morbos & aegritudines animarum, presentissimum remedium habere liceat. Nemo quisquam est, qui enumerare saltem possit varietatem infinitam illam malorum, aerumnarum, & tentationum, quibus homines toto passim orbe non uno modo feriuntur, ut haud abs re praesens vita iugi militiae comparatur in Scriptura, & vallis nominetur lacrymarum. Atqui ex ijs omnibus tentationibus nulla tam grauis est, nullum malum tam immedicabile, quod non verbi Dei beneficio leniri profligarique possit: & cui non veluti praewise iam ante certum in Scriptura paratum remedium sit, dummodo quis eam cum inuocatione diuini numinis pia sedulitate verset, totoque pectore meditetur. Vt nihil dicam de reliquorum piorum manifestis experimētis, quos constat praesidio verbi diuini munitos in medijs etiam afflictionibus sub spe gloriae Dei gloriari: Certè David in suo illo Psal. 119. quē de hoc ipso argumenti genere scripsit, fatetur se in angustijs suis penitissimè fuisse interiturum, nisi

*virtute verbi sese contra earum impetum sustentasset. Quare hinc quoque Scripturarum, quas nobis prodiderunt sancti Prophetae & Apostoli, fides egregie astringitur & constabatur.*

SEPTIMUM ARGUMENTUM  
ab effectibus, quos in vita hominum  
gubernanda declarat.

*Eadem vis Scripturae non minoribus indicijs in vita mortalium gubernanda nitescit. Nam quemadmodum sola Scriptura diuinitus inspirata internam cordis impuritatem arguit: Sic sola ad internam mentis sanctimoniam non hortatur tantum, sed occulta virtute Spiritus efficaciter eam in nobis accendit. Et quidem ad terrendos homines, ac impoenitentiae veterum illis excutiendum, quid potentius est hoc efficacissimo diuinae virtutis organo? quod non iniuriam malleo, petras comminuenti, Ieremias comparat. In conuersis vero & regeneratis quantum habet pondus ad vitam iuxta voluntatem Domini conformandam? Prouocare denuo mihi lubet ad communem experientiam eorum omnium, qui pie meditationi verbi totis animis sese consecraverunt. In quibus non hypocriticae sanctimoniae laruam externam, sed cordis & mentis sanctitatem internam: non seruitium coactum, sed à libero Spiritu*



Spiritu profectum obsequium agnosces: quantum hac obedientia in his terris inchoata tantum sit: seria tamen, & ab ardenti studio promanans. Siquidem hoc unum agunt verè pijs, ut, abnegata impietate & mundanis concupiscentijs, sobriè, iustè, & piè viuant in presenti seculo. Quod autem infirmitatis etiamnum in carne residuum est, serijs gemitibus deplorant, cupientes ob hoc ipsum liberari è carcere mortalis sui corporis, & quamprimum domicilio, quod è caelis est, superindui. Vsq; adeò veram minimeq; simulatam pietatem Spiritus sanctus verbi beneficio in suis cultoribus operatur: novos motus spirituales accendit, ac tam sanctas gignit cogitationes, quæ in pectus hominis Ethnici & hoc Dei verbo prorsum destituti, nunquam descendere potuissent. Ad hunc vigorem verbi diuini, quàm miserè, obsecro, sordent squalentq; uniuersa gentiliū philosophorum monita, quæ unquam vspiciam de moribus prodiderunt? Demus hoc sanè, quòd ad virtutis umbram quandam frigide sectandam, & disciplinam cõstituendam politicam valeant: quid verò hoc aliud est, quàm hypocritas efficere, qui circa superficiem virtutis aliquo modo laborent, veram autem pietatem animi ne à vestibulo quidem salutent aut extremo attingant digitulo? Palàm est, quod dico. Quandoquidem

*dem ipsorum gentilium monumenta declarant, eos ipsos, quos commendatione virtutis & rerum gestarum famâ præ cæteris magnificè prædicatos legimus, occultis tamen ac domesticis sceleribus infames fuisse. Vix quicquã sanctius de moribus ac Ethnica vetustate ad nos peruenit, officiorum voluminibus à Cicerone elaboratis: vix etiam quisquã alius virtutis nomine apud gentiles vixit celebrior. At quib? in occulto flagitijs operam dederit, vel unica Salustij oratio locuples testis esse possit. Vt verè grauerq; scribat Lactantius, Philosophos paganos suis proprijs monitis nil ferè quicquã obtemperasse. Et si quæ à nonnullis præclarè gesta sunt, omnè laudem pietatis propterea amittunt, quòd non à pio erga Deum affectu, sed ab insigni vitio & morbo animi, hoc est, propriæ laudis gloriaq; captâ de studio, profecta leguntur.*

OCTAVVM ARGVMENTVM  
à collatione religionis Christianæ cum cæ-  
teris cultibus extra Scripturam hu-  
manitùs excogitatis.

*Quòd si collationem instituamus inter religionem ipsam gentilium & nostram; vel hinc immensum discrimen vtriusq; sese nobis offeret. Comprobavit hoc omnium atatum & seculorum experientia, quàmprimum de proprio suo inge-  
nia*

nio cultus sibi procuderunt homines, ab eo, qui Scripturae literis cōtinetur, alienos: ut vel prae-ter illum aeternum Deum sacro Bibliorum volumine decantatum, alios colendos statuerent, aut certè verum Deum secundum ἑθελοθρησκείας suas, & non iuxta verbi praescriptum colerent: quòd non solum cultus illi pleriq; per se fædi & abominabiles extiterint, sed comitem habuerint effrenem licentiam scelerum flagitiorumq; omnium, ut in mentem reprobam homines traditi ea patrarent auidè, quae aliàs rationis quoq; censura damnat. Nam quos illi Deos coluerunt? Nempe quos homines in terris olim fuisse indubiè compertum habebant. Imò ad brutorum animantium, quadrupedum, volatilium, & serpentum adorati-ōnē sese proiecerunt, omnē suam fiduciam, omnem spei & salutis ancoram in ijs collocantes. Quid? quòd ligno, quòd lapidi, quòd auro argentoq; affabre ad hominis similitudinem effictō, & suis ipso-rum manib; exsculpto elaboratoq; cultū soli diuinæ maiestati debitū attribuerunt? in suis calamita-rib; opera manuum suarum inuocātes, & ab ege- nis creaturis auxiliū flagitantes. Quam propè in-credibilem cecitatē Spiritus sanctus in Scriptu- ris passim redarguit, maximè autē Psal. 115. Esa. 44. & 46. lib. Sap. 13. & 14. ubi prodigiosus stupor idolatrarum graphice notatur & depingitur.

*Quid verò cultus ipsos gentilium referam, quos honestatis causa nec nominare liceat? vagis nimirum libidinibus, homicidijs, mactationibus, & litationibus hominum, virginum & matronarum prostitutionibus, alijsq; detestandis sceleribus Deos suos coli debere sunt arbitrati. Et quid mirum? cum immania flagitia & inauditas libidines ab ipsis dijs suis patrari docuerint publicè, ut gentilium poëtarum scripta perhibent. Porrò qualis religio, talis etiam reliqua idolatrarum vita fuit; nempe colluies & sentina quedam nefandorum scelerum & flagitiorum, quæ iusto Dei iudicio idolomania fœditatem tanquam debita merces insecuta est, quemadmodum grauius Apostolus Paulus ad Romanos scripsit, cuius hæc sunt verba: Cum se crederent esse sapientes, stulti facti sunt, mutaueruntq; gloriam immortalis Dei per imaginem, non solum ad mortalis hominis similitudinem effictam, verum etiam volatilium, quadrupedum, & reptilium. Quapropter tradidit illos Deus per cupiditates cordium suorum in immundiciam, ut ignominiâ afficiant corpora sua inter se mutuo, qui commutarunt veritatem eius mendacio, colueruntq; ea, quæ condita sunt, supra eum, qui condidit, qui est laudandus in secula. Et ad Ephesios: Ne post-hac ambuletis, quemadmodum & reliquæ gentes ambulant,*

ambulant, in vanitate mentis suae, dum mentem habent obtenebratam, ab alienati à vita Dei, propter ignorantiam, quae est in illis, & excecationem cordis eorum, qui posteaquam peruenierunt eò, ut dolere desierint, semetipsos dediderunt lasciuiae, ad patranda[m] immundiciam omnem cum auuiditate. Vos autem non sic didicistis Christum. Haec abominanda licentia enormium flagitiorum, perpetua & prorsus indiuidua comes est omnium eorū cultuum, qui ex humano arbitrio suam originem trahunt. Nam quòd apud haereticos (qui non penitus à Christiana religione tota, sed ab aliqua tantum eius parte deficiunt) adhuc aliqua disciplina purior & vita castior cernitur, quàm apud homines planè Ethnicos: id ipsum religioni Christianae acceptum ferri debet, cuius aliquas partes retinent haeretici: scripturam ipsam Propheticam & Apostolicam pro veritate agnoscunt, & proinde vitam iuxta normam eius doctrinae institui oportere, & à manifestis furoribus illis, à gentilibus olim in suis cultibus approbatis, alijsq; sceleribus cauendum esse sub aeterna damnationis periculo, ex hoc ipso Scripturae verbo norunt. Sicut igitur ex falso & idolatrico cultu, caecitas mentis & totius vitae dissolutio planè Cyclopica efflorescit, qua notà vanitas eius deprehenditur: Sic vicissim ea religio, quae

B s sanctis

*Sanctis Biblijs cōprehensa est, vsq; adeò non accen-  
 dit suos cultores ad flagitiorū amorē, ut vel audi-  
 ta saltē cecitate, stupore, & impietate hominum  
 idolatricorū, toto pectore cohorrescant. Hinc fides  
 Christiana per Apostolos predicata, unā cum ido-  
 latria simul vitæ quoq; barbariē & impietatē Pa-  
 ganorum profligauit, ut ea scelera, quæ antea cen-  
 ruptis aggerib; uniuersam Ethnicorū nationem  
 inundauerant, nunc euanescerēt apud eos, qui do-  
 ctrinā fidei sincero pectore fuissent amplexi. Hinc  
 vsu venit, ut, qui prius muta simulacra colebāt, et  
 creaturas adorabant supra creatorē ipsum: nunc,  
 postquam verbū Apostolorum recipiunt, seruiant  
 Deo uiuenti & veraci, expectantes filium eius de  
 cælis. Qui pridem exhibebant membra sua serua  
 immundicia & iniquitati, ad aliam atq; aliā ini-  
 quitatem: nunc laudabili commutatione facta,  
 prebeant membra sua serua iustitiæ ad sanctifi-  
 cationem, & erubescant de his, quæ olim auide  
 perpetrabant: Qui ante hac, reliquarū gentium  
 in modum, in vanitate mentis ambulabant, in  
 ebrietatibus, cubilibus, lasciujs, affectu concupi-  
 sciencie præter naturam: nunc, abiectis illis operi-  
 bus tenebrarū infrugiferis, arma lucis induant,  
 tanquā filij lucis in die compositè ambulantes. De-  
 niq; qui (ut numero complectar) aliquando tene-  
 bræ erant, nunc sint lux in Domino; qui, quid ac-  
 ceptum*

ceptum sit Deo, probet; qui iuxta priorē conuersationem veterem hominē deponant; qui renouatū Spiritu mentis sua se ipsos mundēt ab omni iniquitate carnis et Spiritus; qui possideāt vas suum cum sanctificatione et honore; qui Deū in corpore & in Spiritu glorificent; qui ad omne bonū opus apparatusi se verē filios Dei altissimi esse demonstrant. Ex effectibus igitur manifestissimū euadit, omnes humanos cultus falsos necessario existere, cum certō sibi coniunctā habeant excacationem cordis, mentemq; reprobā, quae ad quauis flagitia contra ipsius rationis dictamē perpetranda, frontē, quod aiunt, perfricuit: Vicissim verō cultū diuinis literis praescriptum, verū et unicū esse Dei cultum, utpote qui ad internā mentis & Spiritus sanctitatem corda hominū reformat. Nō loquor de omnibus, qui in visibili cœtu Ecclesiae versantur, inter quos cōstat multos esse hypocritas; sed de veris Dei cultoribus, qui religioso affectu verbū Dei audiunt & custodiūt. Quemadmodū & hoc apud sese quisq; potest attendere, quō maiorem diligentiam verbi meditationi impedit, hoc magis se in fide & pietate proficere: vice versa, contemptum verbi Dei infallibiliter gignere mentē profanam & ad omne opus bonum reprobam, atq; illos contemptores, attestante irrefragabili experientia, Epicurōam planē consuetudinē peccandi induere.

ARGV.

ARGUMENTVM NONVM  
 ab occulta virtute excutiendi secreta  
 humanarum men-  
 tium.

*Ex dictis alia non minus firma fuit demon-  
 stratio, cuius summa huc spectat, non posse doctri-  
 nae Propheticae & Apostolicae autorem assignari  
 alium, nisi Deum  $\kappa\alpha\tau\alpha\ \rho\delta\iota\omicron\gamma\upsilon\omega\tau\eta\nu$ . Nam quod Apo-  
 stolus affirmat, viuum esse Dei verbum, efficax,  
 & quouis gladio utrinque incidente penetrantius,  
 cui omnia manifesta, nuda & resupinata sint;  
 quodque vi sua cordis intentiones rimetur: id  
 ipsum ad diuinam virtutem sacrarum literarum,  
 maiestatemque comprobendam plurimum roboris  
 ac momenti obtinet. Impiorum certe hypocrisin  
 & in cordibus latentem impietatem verbum Dei  
 dijudicat: hereticos bis terue monitos, in consci-  
 entijs conuictos, & suo proprio damnatos iudicio  
 pronunciat, nimirum hoc ipso in cordium ipso-  
 rum & conscientiarum secreta inquirens & in-  
 trospiciens. Si quando eos, qui ab agnita verita-  
 te resiliunt, septies deteriores fieri, & aduersus  
 proditam veritatem exasperari longè vehemen-  
 tius, affirmat: nonne sibi aperte iudicium sumit  
 de occultis pronunciandi tenebrarum? Ad eun-  
 dem modum, quod falsam religionem amplexos,  
 ut mendacij, sic homicidij spiritu agitari, & ad  
 crudeli-*



crudelitatem contra pios accendi verbum Dei per-  
 hibet; quod ex abyſſo quaſi producit abſtruſas co-  
 gitationes impiorum, dicentium in corde ſuo, Non  
 eſt Deus; quod eorundem nunquam pacata conſcien-  
 tia frui, ſed inſtar efferueſcentis maris aſtuare  
 memorat; & ſi quæ ſunt alia: quidni ad arcana  
 conſcientiarum diſcutienda virtute ſua penetrat  
 ac pertingit? Rurſum ſi pios ſpectamus, videmus  
 verbum Dei de internis certaminibus pauoribusque  
 conſcientie ac tentationum telis ignitis, quibus  
 nonnunquam percelluntur, de conſolationis item  
 ſenſu, fiducia erga Deum, pace cordis, gaudio le-  
 titiaque Spiritus, omnem intellectum ſuperante,  
 aliisque nouis motibus & cogitationibus ſpiritua-  
 libus ab humanis toto genere diuerſis (quæ in  
 piorum cordibus verbo Dei mediante gignun-  
 tur) ſic diſſerere; ut quando pii omnes ſentiunt,  
 hos ipſos planè motus & ſanctos affectus per ver-  
 bum Dei in ſe excitari, de quibus ſic gignendis  
 Scriptura pollicetur ac pronunciat: non poſſint  
 non fateri, hanc doctrinam Deo autori in ſoli-  
 dum acceptam ferri oportere; cum ſolus ipſe eos  
 recessus mentis, & ſecretiſſimos affectus cordium  
 perſpectos habeat, ad quos dignoſcendos, penſi-  
 tandos, & ex abdiſſimis latebris humanarum  
 mentium eruendos, doctrinam iſtam Biblicam  
 incredibili maiestate virtuteque ſua valere cer-  
 nunt.

nunt. Quid enim? Num dices, hominem aliquem hac religione conficta ex suo fortè animo ingenione omnium reliquorum affectus astimasse, ut huiusmodi diuinos & cœlestes motus ex libri à se nuper excogitati meditatione in intimis sensibus cordium humanorum apud pios omnes existere posse conijceret? At qui hoc ne per leuissimam coniecturam suspicari talis impostor, multò minus iudicium sibi sumere & usurpare potuisset de motibus sibi penitus omniq; modo incognitis & incompertis. Etenim quia ex solius diuini verbi & Dei in eo loquentis reuerentia, huiusmodi motus noui & spirituales oriuntur, in ijs duntaxat, apud quos iam antè maiestas sacrae Scripturae indubitato sancita est: manifestum contrà euadit, in illius pectore tales motus existere nulla ratione posse, qui hanc doctrinã humanitùs tantùm vel à se vel ab alijs confictam statuit. Quare in animum huiusmodi veteratoris neq; hi motus descendere, neq; ipse de ijs quicquam iudicare, nedum de omnium hanc religionem seriò amplexorum cogitationibus statuere potuisset, praesertim in infinita illa varietate ingeniorum humanorum. Hoc enim verè esset profunditates cordium perspicere, quod soli Deo ut  $\kappa\epsilon\rho\delta\iota\sigma\iota\omega\tau\eta$  competit. Atq; sic inuicta demonstratione extruitur, Scripturas sanctas Prophetarum quidem & Apo-

& Apostolorum ministerio consignatas literis, sed ab altiori principio, Deo, caelitus inspiratas esse.

DECIMUM KPITH' PION  
 ab exquisitissimo studio, quo veritatem rerum omni suae existimationi praeponuerunt sacrorum Bibliorum Scriptores.

Documento etiam nobis est haudquaquam contemnendo, à Deo manasse Prophetarum & Apostolorum scripturas, quòd in historia Biblica texenda videmus observatum morem longè diversissimum ab eo, quem omnes profani Scriptores aliàs tenere solent. Vbi enim quisquam est ex Ethnicae vetustatis Scriptoribus, qui nõ suam inscribendo venetur laudem atq; gloriam? Quamobrem si quando circa res domesticas suas commemorandas occupati sunt; quæ sibi laudi & commendationi apud alios futura iudicant, norunt ad unguem percensere, assignatis factorum omnibus circumstantijs, interdum ad mentientes quippiam, quo laudes suas amplificari apud animos legentium posse confidunt. Quæ verò aliquã turpitudinis maculam aspersura, aut famam nominis obscuratura putantur; quàm ibi, Deum immortalẽ, sicco pede suspensòq; gradu transeunt? quàm

quàm profundo silentio ea tegunt atq; dissimulant? aut si, historia sic efflagitante, præternavigare illorum scriptio scopulos istos haud potest: quas respectant latebras, in quibus peccata flagitiaq; sua abdant? quos colores, quos fucos conquirunt, quibus actiones suas minus laudatas excusent, pallient, pingant, ac fingant, ne qua ignominiae labes sibi adhaerescat? Adeò res ipsa tantum non emissa voce clamat, eos non Dei in solidum, sed cum primis suam laudem nominisq; famam sitire & querere. At Biblici Scriptores nihil horum: qui, ubi historia ratio postulat, ut vite suae partem aliquam attingant, præ constantissimo amore veritatis ne propriae quidem apud homines existimationi parcunt, sed ubi quid præter officium est admissum, ubi violata religiosa in Deum pietas, ubi lesa sanctissima illa humanarum actionum gubernatrix honestas est: non dubitant in sui quidem confusionem, in Dei verò solius laudem & prædicationem, scriptis suis coram Deo & hominibus ingenuè confiteri. Quod nõ dubium est indicium, non ullum alium in scribendo scopum eos sibi habere præfixum, quàm unius Dei celebrationem, & historiae, quam texunt, veritatem simplicissimã, cui totis studijs sic addicti, sic penitissimè sunt dediti, ut malint affectum naturæ frangere, proprijsq; nominis

minis auctoritatem in periculum vocare, quàm  
 de veritate narrationis vel tantillum diminueret  
 atq; detrahere. Sic Propheta Moses neq; suam ad  
 contradictionis aquas hesitationem ac diffiden-  
 tiam suppressit, nec sororis murmur impium re-  
 ticuit, nec fratris Aaronis horribilem prolapsum  
 & idolomaniam dissimulavit, nec Patriarchæ  
 Leui, ex quo ipse suam originem trahit, scelerata  
 facta silere voluit: non latrocinium, quo is in Si-  
 chemitas est grassatus, non periuriū, quo datam  
 illis fidem nefariè violavit, non parricidium,  
 quo innocentissimum fratrem Iosephum tollere  
 cogitavit, non immanitatem Testamento patrio  
 notatam, non seua & truculenta eius arma silen-  
 tio sepelienda duxit, quando Deus historiaq; ve-  
 ritas hanc multiplicem impietatem Leui proavus  
 Moysis in literas relatam uniuersæ posteritati vo-  
 luit innotescere. Sic quòd David in scripture Psal-  
 mi st. suum scelus ingenua confessione edictat &  
 pro palat ipse; quòd Ionas illaudatam suam inobe-  
 dientiam erga vocationem Dei; quòd immodera-  
 tum animi sui morbum & impatientiam; quòd  
 desiderium impium exitij Nineuitarum quar-  
 tumuis resipiscentium; quòd alia peccata sua suis  
 ipse descripsit manibus atq; literis; quòd itē Mat-  
 theus in publicas literas Euangelij sui refert,  
 quàm fuerit perditus & profligatus publicanus;  
 E quàm

quàm profundis auaritia sordibus immersus, priusquam ad Christi vocantis iussum illam fraudum, rapinarum, omnisq; iniustitiae iniquitatisq; sedem, telonium, relinqueret; quòd consimili ratione Petrus lapsum suum foedissimū abnegationis Christi, non solum equo animo patitur omniū hominum memoriae prodi, sed ipsemet insuper Evangelistæ Marco tristem illam tristissimi lapsus historiam quasi ad calamum dicit, ut eius memoria ad omnium seculorum posteritatem extet; quòd deniq; Paulus Apostolus se vastatorem Ecclesiarum, violentum in Christianos, & blasphemum in Iesum Christum fuisse fatetur ipse: Quis in istiusmodi exemplis non ipsis propè manibus contrectet, solum atq; unicum diuinæ veritatis studium hisce veteris nouiq; Testamenti scriptoribus propositum fuisse? & proinde historijs, quas prodiderunt, nihil vspici subesse fraudis, nihil imposturae, nihil quod non vndiquaq; sibi cōstantem ac solidam veritatem sapiat; quippè in quam ita sanctè iurauerant illi Dei serui, ut vel sua gloria (cuius aliàs suo pte ingenio cupidi auidiq; sunt homines) iacturâ, dispendiòque fama, peccata sua mallent prodere, quàm tegendo illa veritatem historiarum ullo pacto vel  
 contaminare vel ob-  
 scurare.

VNDE.

## VNDECIMUM TEKMH' PION

à miranda perfectione Scripturæ, quòd  
ad omnes hæreses confutandas  
ipsa sibi sufficit.

Cæterum non parum lucis ac fidei institutò  
nostro hinc accedit, quòd Scripturæ liber ad quas-  
libet exorbitantes opiniones, errores atq; hæreses  
protelandas ac refellendas ipse sibi sufficit. Quã-  
vis enim iam inde ab Apostolorum ætate Diabolus  
innumeras penè opiniones hæreticas per suæ va-  
nitatis organa commentus est, quarum densissì-  
ma caligine doctrinam cœlestem obnubilaret &  
inuolueret: tamen omnes illæ hac splendidissima  
face & luce in apertum productæ & detectæ, te-  
stimonijsq; diuini verbi ceu validissimis arieti-  
bus euerseæ concenterunt. Et quanquam initio quæ-  
stiones circa fidei dogmata motæ nonnihil vi-  
deantur intricatæ: attamen si ressententiarum  
collatione ventiletur, & ad amussim Scripturæ  
Canonica reuocetur negotium: ita dilucidè ex-  
planari & ex sophismatum strophis atq; tricis e-  
uolui possunt omnia, ut Autores ipsi corruptæ do-  
ctrinæ potenter ad eò conuinci valeant, ut, si etiam  
palinodiam carere detrectent, non dubijs ta-  
men indicijs deprehendantur  $\omega\tau\omicron\gamma\tau\alpha\chi\rho\iota\tau\omicron\iota\varsigma$   
hoc est, in suis conscientijs constricti & confusi:  
reliqui verò, qui, præ lucete verbo Domini, & co-

mitante inuocatione nominis illius, rem Prophe-  
tica & Apostolica scriptura lance pensitant, pro-  
bati hinc fiant, ut Apostolus ait, & quid verò  
consensaneum sit, præeunte & facem præferente  
Scriptura duce, liquidissimè cognoscant. Hinc illa  
Christiana Religio firmitas, quòd inter hor-  
rendas confusiones errorum & heresium cunctis  
seculis ita perstitit, ne in uniuersum unquam in-  
tercideret, sed pressa etiam, subindè rursus emer-  
geret, ac palma instar assurgeret; una vicissim  
heresi post alteram exoriente, & rursus euane-  
scente. Neq; verò vlla potest excogitari heresis,  
quæ non iam antè, tanquã præuisa, in verbo Scri-  
ptura ita solidè confutata & dijudicata extet, ut  
tentatis etiam conscientijs (quæ aliàs nõ nisi cer-  
tissimis Elenchis in tentationum agone pacari  
possunt) queat abundè satisfieri; id quod apud pros  
homines nõ iniuriã admirationem meretur lon-  
gè maximã. Etenim si uniuersa sapientia mun-  
di, in eiusmodi libro conscribendo laborasset, ex  
quo omnes omnium dissidentium opiniones atq;  
hereses, quæ in infinita sunt differètia, confutan-  
da forent, præsertim in rebus ad Dei notitiam  
pertinentibus; id sanè coniunctis & in unum  
collectis viribus ingenij, solertia, industriæq; sue  
nullis seculis consequi valisset. Quod perspicuè  
euincit, infinitã, hoc est, diuinã sapietiã auctorem  
Scripturæ



Scriptura praeditum esse oportere, cui omnia re-  
 eta praesentiaq; sint, quiq; ex vi sapientiae nullis  
 finibus terminata, librum omnibus venturis ha-  
 resibus validissime profligandis idoneum concipi-  
 pere, conceptumq; apud Ecclesiam suam deponere  
 potuerit, cuius adminiculo illa veritatem aduer-  
 sus quasvis Sophistarū strophas & hereticorum  
 φλυαρίας sartam tectam tueatur, & conscientiae  
 procellis tentationum hinc inde iactatae, velut in  
 rupe certitudinis tandem conquiescant.

DVODECIMVM ARGVMENT-  
 tum, quo scriptorum Veteris Testamenti  
 auctoritas à perpetua & non interrupta  
 manuum traditione com-  
 probatur.

De Miraculis nunc dicendū esset, quibus tan-  
 quam indubijs sigillis & Veteris & Novi Testa-  
 menti auctoritas est obsignata. Sed quoniam ea  
 est quorundā impietas, ut certissima quaeq; dispu-  
 tando in dubium vocare Pyrrhonorum in mo-  
 dum laborent, ne fortè illi nebulones obstrepant,  
 nos pro confessis sumere, quae non careant contro-  
 versia, quod ipsi vehementer ambigant, fuerint-  
 ne unquam Moses & Propheta, Christus & Apo-  
 stoli, quibus miracula illa & scripta tribuuntur;  
 idcirco, ut plenius confirmentur piorum animi,

eam placet  $\Delta\pi\omicron\delta\epsilon\iota\zeta\iota\upsilon$  praemittere, quae conscientias hominum validissime conuincat; scripta Veteris & Noui Testamenti à nullo alio, quam Mo-  
se & Prophetis, Christo & Apostolis, prodire potuisse. Hoc enim fundamento iactò, nullo deinde negotio licebit astruere, haec ab ipsis miracula ad sancienda doctrinae, quam professi sunt, veritatem esse edita. De utriusq; igitur Testamenti libris disseramus sigillatim.

Indubitatum est, fuisse ante annos ter mille & amplius ducem ac legislatorem Israëliitarum Mo-  
sen, quem & ratio temporis, & (ut suo ostenditur loco) publicus orbis consensus arguit, inter omnes scriptores & leges longè fuisse antiquissimum & clarissimum. Quanquam autem homines mente corrupti ac profani, rem Sobte clariorem in controuersiam vocent; fueritne aliquando Moses: tamen res manifestior est, quam ut eam Satan ipse ullis strophis aut cautilis obscurare possit. Etenim si quis in quaestionem vocet; fueritne unquam aliquando Iulius Caesar, aut Virgilius, aut Cicero; quis non fustibus excutiendam talem vesaniam existimet? Quòd non tantum Moses fuerit, sed haec quoque scripserit, quae sub ipsius nomine leguntur; certius est, & euidentius demonstrari potest, quam, quòd fuerit vel Plato, vel Cicero.

cero, vel Iulius Caesar, vel Aristoteles, vel Poëta Virgilius, veletiam Imperium, quod dicebatur Babylonicum, aut Persicum. Et ut gradibus procedam; sacrosanctam fuisse constat Mosis auctoritatem iam supra mille quingentos annos, apud duos longè diuersissimos populos, Iudeos nimirum & Christianos. Qui duo populi cum nihil alioqui commune habeant, sed contrarijs planè studijs, voluntatibus, & quod omnium est maximum, religionibus, à se inuicem, totis, quod aiunt, castris dissideant; ac nihilominus utriq; in scripta Mosis, ut & reliquorum Prophetarum, sanctissimo assensu iurati sint: quis non videat, testimonium illud à populis, immortalis odio disiunctis, datum Mosis, non à domestica conspiratione Iudeorum & Christianorum profectum, sed undiquaq; integrum & incorruptum existere. Quemadmodum de Messia, exhibitusne sit, vel non, acerrima disceptatione iam ultra quindecim secula inter se contendunt Iudaei & Christiani; & utriq; ad Mosis & Prophetarum scripta ceu tribunal veritatis prouocant, sacrosanctam illorum certitudinem indubitato præsупponētes. Iam verò si ulterius ad Mosis tempora retrogre diamur; constat, religionem Hebraeorum scripto Mosis traditam nexu indissolubili coniunctam habuisse Circumcisionem. Quae quia & pars fuit

G 4      doctrinae

40 DE MAIEST. ET CERTIT.

doctrinae illius, & eiusdem sigillum: perpetuam  
certè & nullatenus interruptam propagationem  
doctrinae Mosaicae luculentissime cõfirmat; quan-  
doquidem signaculum circumcisionis corporibus  
ipsis Hebraeorum sic impressum, carni eorum sic  
in scriptum in sculptumq; fuerat, ut in propaga-  
tione huius Sacramenti coniunctaq; doctrina,  
nulla potuerit committi fraus, quin protinùs de-  
prehensa fuisset. Accedit huc, quòd Dominus  
Pentateuchum Mosis à Sacerdotibus populi inter  
res sacratissimas tanquam thesaurum summum  
studiosissime asseruari, & ad posteros ministerio  
illo Sacerdotum transmitti voluit. Ex annalibus  
in super, omniumq; propè historicorum monu-  
mentis certum est, cum gentem Israëliticam, tum  
in primis ducem & gubernatorem eius Mosè,  
iam inde ab ipsius seculo clarum in mundo cele-  
bremq; fuisse, quod infra gentilium historico-  
rum adductis testimonijs comprobabitur? Et ut  
inexpugnabilis firmitas scriptorum Prophetico-  
rum, ac in primis Mosè Prophetarum omnium  
Coriphæi atq; Ducis amplius etiam demonstre-  
tur; en tibi apodixin hac cæli terræq; machina so-  
lidiorem. Primò, quòd Israëlitæ ipsi hanc religio-  
nem non sint commenti, neq; iugum hoc durissi-  
marum legum sibi imposuerint, aut tot ceremo-  
niarum vincula sibi iniecerint, de sacrificijs, de  
frequen-

frequentissimus iuxta molestissimisq; lotionibus  
 & emundationibus, de circumcidendis & cum  
 vitæ periculo sauciãdis paruulis, in ista praesertim  
 tenerrima teneritudine primæ infantia, & si  
 quæ sunt alia: nullis id indiget ad probandum ra-  
 tionibus. Porro finge, non à Mose hæc proficisci,  
 sed ab alio quodam impostore fuisse conficta: qui-  
 bus tu putas quantisq; rationibus opus habitu-  
 rum fuisse, ad hanc commentitiã religionem  
 durissimis legibus oneribusq; plenam. Israëlitis  
 persuadendam, ut sine contradictione pro cælesti  
 veritate protinùs eam agnoscerent? Et quæsitus  
 nugator ille de prima origine eius religionis:  
 quid, obsecro te, obtendere, quas latebras quærere  
 potuisset? Quas specie tanquam nõ à se confictam,  
 sed diuinitùs acceptam, potuisset hominibus ob-  
 trudere? Nonne alterutrum necessariò fatendum  
 ei fuisset, aut quòd hanc religionem ceu nouam  
 cunctisq; retrò seculis ignotam cuperet introdu-  
 cere: aut affirmandum, quòd iam pridem ab alio  
 quodam legislatore, nempe Mose, populo Israëlitico  
 fuerit publicata & miraculis sancita? Vtrum-  
 libet fassus esset impostor, aperti mendacij publice  
 conuinci potuisset. Si affirmasset, se à Deo accipere  
 leges illas, ceu nouas, & à nullo antehac proposi-  
 tas: an non proprij sui libri Biblici testimonio  
 redargui, & *αὐτοφάτω* deprehendi vanitas

eius potuisset? utpotè cuius libri summa eò spectaret, quòd iam antea fuerit legislator Israëli-  
 tarum Moses, qui hæc omnia Hebraeis ex præscri-  
 pto Domini seruanda proposuerit & literis man-  
 dârit? Annon hoc fuisset inextricabili nodo con-  
 tradictionis semet implicare? Quid ergò? Num  
 voluisset affirmare, se non afferre religionem,  
 cultum, & leges nouas, ac prius incognitas; sed  
 eas quæ olim à Mose vulgatæ, toti genti Hebræo-  
 rum innotuerint? At qua fronte potuisset hoc  
 asserere, cum ne vestigium quidem istius religio-  
 nis, legum, statutorum, Circumcisionis, Agni Pa-  
 schalis, solennium festorum, aliarumq; ceremo-  
 niarum usquam antehac in toto populo fuisset  
 conspectum? utpotè, quæ omnia nuper admodum  
 veterator ille de suo cerebro excogitasset? In-  
 quascumque igitur latebras sese abdere voluisset  
 impostor, nusquam elabendi paruisset rima  
 vlla, quin in palpabili, luculento & longè ma-  
 nifestissimo mendacio medius fuisset constri-  
 ctus.

Sed inquis: Esto sanè, quòd Moses ipse eam re-  
 ligionem atq; leges scripserit, & ad populum Iu-  
 daicum promulgârit: quid si verò ipsemet sinxis-  
 set, se à Deo leges illas totumq; cultum accipere,  
 cum non acciperet, sed id simularet tantum?  
 Obsecrote, mihi homo, ut defecato animo mihi  
 parumper

parumper attendas. Lege & excute Pentateuchum Mosi. Quæ poterat ab illo in descriptione rerum, quas narrat, committi fraus, quam in tanta penè innumerabilium hominum multitudine nemo omnium erat deprehensurus? Numerantur in egressu ex Aegypto sexcenta virorum millia, præter pueros & mulieres. Atque hi simul omnes rerum & actionum Moisaicarum fuerunt ἀυτόπλοι, qui cominùs illas aspexerunt, viderunt, audiuerunt, ac penè cunctis sensibus perceperunt. Quos simul omnes nihil nisi vana mendacia suis auribus audiuisse, suis oculis vidisse, suis manibus contrectasse, sua mente percepisse nemo dixerit; nisi qui se ipsum auribus, oculis, & mente captum esse perspicuè declaret. Quis ergò fingendi locus esse poterat in ijs omnibus, quæ descripsit? præsertim cum pro solenni concione & coram innumera Hebræorum turba publicârit? quin imò in commemorandis suis miraculis ad ipsosmet Israëlitas tanquam oculatos testes prouocare minimè dubitârit?

XIII. ARGUMENTVM  
à miraculis Mo-  
sis.

Ergò ut ad miracula eius veniamus: certè  
quòd

quòd coram vniuerso cœtu Israëliitarum plus certis inculcat, ipsos stupendis signis, potentiq; manu & brachio excelso Dei omnipotentis ex Egypti seruitute liberatos; quòd ad ipsius preces mare rubrum in duas partes sectum atq; diuisum legitur; quòd in altum accumulati fluctus eius, & in sublimi suspense consolidatæq; aquæ, vt toti genti Israëliticæ siccum præberent transitum, hostem autem insequentem, vnâ cum exercitu illius, absorberent & submergerent; quòd deinde Moses in intimum Dei colloquium admissus, quadraginta dierum spacio in monte Sinai degit absq; vlllo cibo potuq; ; quòd facies ex illo Dei colloquio reuersa, tanquam solarib; illustrata radijs, sic splendebat, sic fulgurabat, vt in eam, nisi velamine contentam, Israëlitæ oculorum aciem intendere nec possent nec auderent: quòd in solenni promulgatione Decalogi tempestas cunctis inauditâ seculis castra Hebræorum mirificè turbabat; quòd tonitrua clarissimis fulgetris intermixta omnẽ eam regionem longè lateq; concutiebant; quòd Dei tuba tanto clangore perstrepebat, vt in ea penè omnium elementorum confusione vastissimi deserti montana instar agnorum & ouium subsiliere & expauescere cernerentur, quoties vel tonitru suo Deus orbem terrarum concutiebat, vel emissis fulminibus montes & colles sic feriebat, vt illo-



Ut illorum fundamenta tremarent & fumiga-  
 rent; & quod inter hæc stupenda Dei omnipoten-  
 tis opera, signa prodigiaq; Deus legem Decalogi  
 voce humanis auribus atq; cordibus intolerabili  
 vulgabat; similiter quod viae suae ducem atq; co-  
 mitem habebant Israëlitæ columnam nubis &  
 ignis; quod item petra baculo Mosis percussa, flu-  
 men aquarum protinùs effudit & eiecit; quod  
 admirando prodigiopane cœlitus depluente, qua-  
 draginta annis continuis, innumerus Hebraorū  
 exercitus pastus fuit, & in sempiternam memo-  
 riam huius & miraculi & beneficij, panis ille cœ-  
 lestis in arcam propitiatorij repositus & asserva-  
 tus; quod vestes atq; calcei Israëlitariū toto tem-  
 pore peregrinationis in deserto non fuerunt at-  
 triti; quod deniq; consceleratae factionis Core,  
 Dathan & Abyron, exitio ad omnē posteritatem  
 memorabili, Dominus auctoritatem Mosis à con-  
 temptu tam mirificè vindicavit: Nōne his tam  
 illustribus signis Deus Mosen seruum suū cœlitus  
 commendabat populo, tanquam indubium Pro-  
 phetam & Dei Angelum velut è cœlo prodeun-  
 tem? Etenim cum populum Israëliticū frequen-  
 tissimis concionibus acerrimè reprehendat; cum  
 impietatem eius acerba gravitate perstringat;  
 cum gentem incredulam, impiam, incircumci-  
 sam, durae cervicis populum, rebellem & contu-  
 macem

*macem nominet, & hanc Israëliitarum incredulitatem, peccata ac scelera literis insuper scriptisq; in omnia secula reuelet; cum ea proponat, quae totum populum ad reclamandum incitare poterat; si vel leuissima fuisset ad contradicendum occasio; cum leges obseruatu multò difficilimas de quotidianis lotionibus, mandationibus, alijsq; ceremonijs propè innumeris, & molestiarum plenis, Hebraeorum nationi prescribat, cumq; premat urgeatq; eos iugo prorsum intolerabili, ut Petrus in Actis affirmat; non utiq; potuit vllus esse locus fictis miraculis ad rigidissimam illam doctrinam populo, cæteroquin incredulo & præfractò, persuadendam & imponendam. Quo enim, non dicam rei successu, sed pudore atque fronte iactasset coram Hebraeis de prodigijs in terra Aegypti editis, de diuisione maris rubri, de suffocatis in eo Aegyptijs, de panibus caelitùs depluentibus, de calceis atque vestibus Israëliitarum toto tempore quadraginta annorum, quo in deserto vixerunt, non detritis, non vetustate consumptis; & qua confidentia in percensendis hisce prouocasset ad illorum αὐτοψίαν & oculare testimonium, si nihil horum omnium vel vidisset, vel audiisset, vel percepisset, vel cognouisset populus? & quomodo horum signorum obtentu ad durissimum obsequium adducere unquam*

Unquam eos potuisset, nisi uniuersa haec miracula suis cominùs aspexissent oculis, eorumq; sacrosanctam certitudinem soliditatemq; cunctis propè sensibus deprehendissent. Sunt haec omni exceptione maiora documenta & testimonia, quòd signa, coram populo Israëlitico in Aegypto, ad mare rubrum, & in deserto edita, solidissimam veritatem adiunctam habuerint, & Hebraei de ijs tam fuerint certi, quàm qui certissimi.

Cuius rei est & haec nota maximè illustris & commemorabilis, quòd in memoriam Mosaicarum rerum miraculorumq;, solennia festa fuerunt in Dei populo instituta. Pascha quidem, quo recoleretur memoria admiranda educationis Israëlitarum ex Aegypto, per signa, prodigiaq; supra enumerata. Pentecoste verò, ut perpetuum extaret memoriale Decalogi inter stupenda miracula genti Hebraeorum traditi & promulgati. Tabernaculorum denique festum, ut ad animum revocaretur beneficium conseruationis populi in deserto, sine vlla humana alimonia, panibus tantùm è sublimi datis, quòdque totis illis quadraginta annis non fuerant detrita illorum vel vestes, vel calceamenta. Ad quae festa frequentanda masculi simul omnes ex uniuerso regno ad certum statumque locum

locum conuenire iussi, suspensis domi suae cunctis  
negocijs alijs; praescripta item certa sacrificiorum  
species offerenda Domino, mandati ritus & cere-  
moniae, additae promissiones obseruantibus eos fe-  
storum ritus, denunciat & vicissim poena his, qui  
illos obseruare nollent: nimirum, ut tantarum  
rerum memoriam in celsissimo collocatam fasti-  
gio nulla unquam delere posset obliuio. Anné au-  
tem istarum solennium feriarum celebrationem  
in memoriam operum illorum Dei ordinatam,  
vllis rationibus sibi passi fuissent persuaderi He-  
braei, nisi de rerū ipsarum, quarum agitanda ce-  
lebrandaq; memoria erat, immota certitudine  
longè omnium fuissent certissimi? Videt ergo,  
qui non horribili stupore mentis cecitateq; per-  
cussus est, quàm inconcussis fulcris atq; columnis  
veritas signorum Mosaicarum superstructa sit.

Verum quia res erat multò manifestior,  
quàm ut scriptores Ethnici negare possent, desi-  
gnata fuisse à Propheta Mose miracula: Diabolo  
illius odio commenti sunt, ipsum magicæ artis be-  
neficio mirando illa patrâsse. Sed qua tandem ra-  
tione magum ipsum fuisse conuincant? qui hanc  
ipsam superstitionē in infernū vsq; damnat? qui  
non ipsos duntaxat Magos & Ariolos, sed & eos,  
qui tantum consulunt tales, lapidibus obruendos  
pronunciat? qui toties edicit, vetat ac prohibet  
ne sit-

ne superstitiosis hisce rebus dent operã, quòd propter huiusmodi maleficas artes terra Chanaanæas gentes euomat & eijciat? Præterea num æquius esse censes, ijs habere fidem, qui merâ inuidiâ incitati, talia in sanctissimum Dei seruum conuitia euomuerunt, instigante & suggerente Satana, ut quoquo modo populum Dei coram gentilibus denigraret: An verò ijs potius fidem habeamus, qui omniũ actionum Mosis αὐτοπλάγ fuerunt, oculari demonstratione sic in suis cordibus conuicti, ut dictis factisq; ipsius quicquam refragari nefas esse putarent? Adhæc constat, miracula Mosis cum solido effectu sic esse coniuncta, ut prestigias nemo fuisse dixerit, nisi cui prestigijs Satanae dementatus sit animus & excantatum cerebrum. Quæ enim incantatio prestare potuit, ut mare secaretur medium; aquæ in altum surgerent, & Israëlitis siccum expeditumq; præberent transitum? Quæ Magica ars consequi valuit, ut lapis baculo percussus ingentem copiam aquarum confestim profunderet? Quæ præstigiatrix quinerat vlllo pacto efficere, ut pane è nubibus dato indies ad annos quadraginta, tot millia hominum deserto loco, sine vlllo alio cibo humano, pascerentur? Quæ superstitio ad tantum conficiendum opus valere potuit, ut terra ingenti hiatu sese aperiens, impiam ac sceleratam

D

leratam

*leratam manum superbae factionis absorberet?  
 & ignis egrediens castra seditiosorum fatali me-  
 morabiliq; supplicio deuoraret & absumeret?  
 Quae deniq; potentia diabolica tantum valebat,  
 ut vestes & calcei Hebraeorum nullis pluuijs, nul-  
 lus imbribus, nullis hybernis niuib; nullis labo-  
 ribus, profectiõibus & itineribus nullis, in qua-  
 dragesimum vsq; annum vetustate vel rumpe-  
 rentur, vel attererentur? Haec prodigia ut cunctis  
 creaturis imitatu prorsus aduocata esse quiuis  
 intelligit; sic euentus nos edocuit, potentib; hisce  
 factis atq; signis in omnia secula confirmatam  
 esse Mosis doctrinam. Quam deinde fusiùs expli-  
 carunt, & clarissimis vaticinijs suis illustrarunt  
 sancti Prophetae; qui & ipsi partim miraculis in-  
 signes fuerunt, partim verò (ut infra docebitur)  
 vaticinijs suis eorumq; manifesto euentu, certis-  
 simae veritatis testimonium adepti sunt, quòd  
 non humanitùs ipsorum allata prophetia, sed Spi-  
 ritu sancto impulsì locuti sint sancti illi Dei ho-  
 mines.*

**XIIII. ARGUMENTVM,**  
 quo autoritas Scripturae Noui Testa-  
 menti asseritur, à perpetua iti-  
 dem manuum tra-  
 ditione.

*Cum itaq; doctrinam Mosis & Prophetarum  
 Veteris*

Veteris Testamenti certam & sacrosanctam esse  
iam nunc demonstratum sit: nihil ulteriore pro-  
batione foret opus, ad Novi voluminis siue Te-  
stamenti certitudinem asserendam. Ita enim  
à se mutuo dependent Testamentum Vetus &  
Novum, ita in se inuicem cum potenter confir-  
mandis tum mirificè illustrandis mutuam ope-  
ram sibi tradunt; ut stante veritate alterutrus,  
siue veteris, siue noui Testamenti; protinus al-  
terius quoque dignitas consistat. Nam ut  
vetus Testamentum in nouo completur & il-  
lustratur: sic nouum in veteri; hoc est, in Mose,  
Psalms & Prophetis fundatum est. Verun-  
tamen ut omni ex parte Scripturae veritas illu-  
stretur; eodem ferè progressu, quo supra vete-  
ris, sic iam Novi Testamenti certitudinem  
commonstrabimus. Nam si de prima origi-  
ne Scripturae Novi Testamenti, adeoque to-  
tius religionis Christianae cogitemus diligen-  
tius; unde nimirum, & à quibus autoribus ac  
scriptoribus ad nos vsque profecta descenderit;  
liquido patebit, non potuisse doctrinam istam,  
& scripta, quibus ea traditur, ab ullo prodire  
alio, præterquam à Iesu Nazareno, sanctisq;  
Apostolis & Euangelistis, quorum nomi-  
nibus sunt insignita. Quamuis enim nos, qui  
iam viuimus, scripta Testamenti Novi Euan-  
gelica

gelica siue Apostolica non accepimus ex ipsis Apostolorum manibus; accepimus tamen ea à nobis proximis, & hi à suis proximis Maioribus, qui & retrò à suis acceperunt, donec cõtinua serie ascendendo perueniatur ad eos, qui Apostolos viderunt, audiuerunt, ac certò cognouerunt, hæc ab ipsis prædicata, conscripta, edita, & Ecclesie Dei tanquam depositum sanæ doctrinæ fideiq; normam esse relicta. Quis, obsecro, hîc potest esse dolus? quæ fraus? quæ impostura? aut quæ etiã incertitudo? Si vel hi, vel illi proximi maiores non accepissent ea à suis maioribus, sed finxissent se accipere, cùm essent ipsi ea commenti; an putas eius temporis homines, nil nisi truncos & stipites futuros fuisse, qui hanc palpabilem & vniuersis sensibus obuiam imposturam non obseruassent? Hanc porrò obiectionem refellit etiam continua series earum rerum omnium, quæ cùm ipsa doctrina Ecclesie vel connexa, vel eidem aduersa semper fuerunt. Vt quòd ex totius mundi Chronologia notum est, à nostra etate vsq; ad tempora Christi retrogrediendo, perpetuam & non interruptam semper fuisse seriem doctorum & Episcoporum in summis & clarissimis Ecclesiis orbis Christiani, sibi temporis ratione succedentium, quod ipsorum tot opera penè numero infinita, partim græco, partim latino sermone descripta, testantur; perpetuam



tuam item fuisse propagationem ipsorum Sacramentorū, sicut olim Circumcisionis in veteri, sic Baptismi & Cæna Dominica in Testamento nouo. Quæ cum in oculos hominum incurrant; per fraudem certè recens excogitari, & orbi tanquam iam olim instituta obtrudi, planè erat impossibile, nisi fraus illa, utpote ipsis oculis hominū exposita, confestim notata fuisset & animaduersa. Quemadmodum & series hæresium & hæreticorum, conciliorum item successio, & ipsorum annorū numerus à Natiuitate Iesu Christi computatus omni tempore notissimus, atq; inter populos toto orbe diuersissimos æquali cōputatione sic numeratus fuit, ut ne tantillum quidem tot iam seculis ab inuicem in illorum numeratione discreparēt. Vnde solari luce splendidius effulget, continuam & nullo unquam tempore intersectam fuisse successionem Christianæ Ecclesiæ, & ipsius doctrinæ de Christo, ex qua nata Ecclesia est. Etsi omninò hæc Euangelistarum & Apostolorum scripta, hæc q; uniuersa Christianorum religio aliunde, quàm à Christo, profecta, & ab alijs, quàm Apostolis, consignata literis fuissent (cuius tamen affirmati nullibi locorum, terrarum atq; gentium vel leuissimum argumentum aut vestigium extat ullum) dubium tamen non est, quin (si quis confinxisset alius) hæc tanta res

ad omnem posteritatis memoriam adminiculo  
 historia transmissa fuisset; quisnam esset ille,  
 qui tantam, tam mirandam, tam inspera-  
 tam & inauditam sacrorum mutationem or-  
 bi terrarum intulisset; qui reliquis omnibus  
 cultibus abrogatis, nouam in humano gene-  
 re constituisset religionem, & quasi nouum  
 mundum, destructo veteri, condidisset. Hoc  
 certè vel ipse author posteris historiae beneficio  
 fuerat transmissurus, ut (qua sunt ambi-  
 tione homines) immortalem hinc sibi gloriam  
 nominisque famam compararet; aut profectò  
 alij historici rem tantam neutiquam reticuis-  
 sent. Etenim cum Historiographi omnium tem-  
 porum res gestas longè etiam vilioris momen-  
 ti literis mandârint, accuratè singulis anno-  
 tatis circumstantijs; quomodo, rogo, tantam  
 mutationem totius mundi (quanta post ho-  
 mines natos nulla unquam extitisset) ater-  
 no silentio sic præterissent, ut ne vnus qui-  
 dem ex omnibus leuiter vel attingeret sal-  
 tem? Quidni exquisito studio fuissent expo-  
 situri, quis, quibus præsijs & adminiculis  
 adiutus, quo item modo, quo tempore, quo  
 progressu & successu, insignem istam muta-  
 tionem cultuum, sacrorum religionumq; in-  
 troduxerit? quibus argumentis & rationibus  
 doctri-

doctrinam nouam cunctisque inauditam se-  
 culis & rationi insuper hominum è diametro  
 repugnantem persuadere potuerit tot populis  
 & tam variarum linguarum, diuersarum  
 legum & statutorum, distinctorum imperio-  
 rum, contrariorum ingeniorum, discrepan-  
 tium morum, & disiunctissimarum consuetu-  
 dinum hominibus atq; gentibus; ut damnata  
 religione Maiorum auita, hanc nouam non  
 modo reciperent, sed omninò pro cœlesti & sa-  
 crosancta veritate agnoscerent, & per mil-  
 le discrimina, persecutiones ac mortes liberrimè  
 profiterentur? Verùm si euoluantur omnes  
 codices, omnes libri, omnes annales, Chrono-  
 logiæ historiæq; ad vnâ omnes, ne apicem  
 quidem inuenies, quòd hæc doctrina religioque  
 Christiana ab vltio alio authore, quàm IESU  
 NAZARENO, suum initium sit sortita.  
 Qua de re tantò minùs vlli dubitationi lo-  
 cus est, quòd de hoc consentire cernimus et-  
 iam iuratissimos hostes Christianæ Religionis,  
 Iudeos & Mahumetistas, qui extra omnem  
 aleam controuersia aut dubitationis ponunt, Ie-  
 sum Nazarenum nostræ cum doctrina autho-  
 rem, tum fidei ducem atque magistrum existe-  
 re. His verò quia nihil aliàs commune est cum  
 Christianis; palàm est, non ex aliqua conspira-

*tionem dissidentium populorum testimonium hoc  
 proficisci, sed ab irrefragabili & infallibili veri-  
 tate. Potentissimè verò id ipsum euincit Argu-  
 mentum atq; summa librorum Noui Testamen-  
 ti. Quæ cum huc spectet unice, quòd fuerit ali-  
 quando in Iudæa Iesus quidam dictis factisq; po-  
 tens, qui religionem istam in populo Iudaico pri-  
 mitus inchoatam, postmodum per suos ad hoc mu-  
 nus delectos Apostolos, inter omnes gentes toti  
 publicarit mundo; certè si non esset olim à Iesu  
 Christo proposita doctrina hæc, sed multò post ex-  
 cogitata ab alio: quomodo is potuisset religio-  
 nem à se nuper inuentam, pro antiqua vendita-  
 re, aut dicere, quòd ea iam antè à Iesu Christo &  
 Apostolis in mundo prædicata, & per orbem ter-  
 rarum inter gentes sparsa receptaq; foret; cum  
 tamen nullus esset sub Sole populus, qui de hac to-  
 ta religione, de Iesu, de Apostolis, de nomine Chri-  
 stianorū, de Baptismo, de Cæna Domini, de cæte-  
 ris istius doctrinae partibus, capitibus, Articulis,  
 quicquam unquam audiuisset? ut potè quæ omnia  
 veterator ille nuper admodum de suo cerebro es-  
 set commentus. Hanc itaq; vesaniam, semetipsam  
 aperta contradictione confundentem ac refellen-  
 tem, non rationibus euertendam, sed autorem  
 eius ut mente captum, funibus aut compedibus  
 alligandū censuissent; nedum ut palpabilibus istis  
 impo-*

imposturis & figmentis notorijs, omnes gentes, linguas, moribus, ingenijs, legibus, imperijs, cultibus, & religionum diuersitate longissimè dissentientes, se decipi, & ad unam hanc confictam religionem, ipsâ presertim naturâ hominibus exosam, adduci fuissent passæ.

Sed hic obstrepunt ac mussitant nonnulli in suis latibulis & conuenticulis; quemadmodum Mahumetica religio à Mahumete & quibusdam alijs excogitata, nihilominus pro veritate sit orbi obtrusa, & decursu aliquot seculorum vires adeptæ; sic & doctrinam Biblicam de humano ingenio consimili ratione confingi, & sub eodem colore pro veritate diuina commendari hominibus, ad nouitatem alioqui propensis, persuaderi quæ potuisse? Verùm hoc obiecto adeò nihil proficiunt illi nebulones, ut & vanitatē suæ proteruæ prodant, & inconcussam firmitatem doctrinæ Christianæ stabiliant potius, quàm subruant. Quod ex inuicta responsione, quam subiungam, liquidissimum euadet.

Primò enim hoc ipso, quòd Mahumetem nominant, eumquæ unà cum suæ factionis socijs nouam procudisse religionem aiunt: liquido testantur ipsi, maleficæ istius sectæ Autorem primum latere neutiquàm potuisse, utpote qui nominatim historicorum designatus scriptis, & inuicta per

D 5 illum

illum exitiabilis impietatis initia, progressus & incrementa indicio monumentisq; literarū publicè notata extant. Quare sic nobiscum reputamus: Si Mahomet; si Sergius Monachus; si ceteri, quorum operā in consuendo libro suo v̄sa est illa Furia, non quiuerunt vel suo vel insecutis seculis esse occulti vel ignoti; si tempus, quo sacrilegum suum institutum est exorsus Mahumetes; si locus; si coniuratorum manus atq; copia, quibus ille nitebatur; si deniq; circumstantia cetera nec occultari dissimulatione, nec silentio consepeliri potuerunt: multò minùs animaduersionē & censuram hominum euitare, & in obscuritatis latebras sese abdere potuisse eum, qui Christianam religionem unā cum ipso Bibliorū volumine de nouo cōfingere laborāssset. Nam Mahometica doctrinae partes non pauca, quas è Biblijs repetitas suae admiscuit doctrinae, iam antea populus orbis fuere cognita. At verò Christiana religio prius omni sua parte ignota fuit Ethnicis. Itaq; de autore eius multò minùs tacuisset vel fama publica, vel historiatarum annales; sed protinùs (ut in rebus insigniter nouis atq; magnis fieri solet) publicis vocibus increbuisse, quis nā esset is, qui doctrinam cunctis inusitatam inauditamq; seculis in mundum inuexisset primus; si nimirum non à Christo suam originem duceret, sed ab aliquo alio v̄frè sub-

frè subdoleq; excogitata foret. Iam verò, si, ut  
 & suprà memini, omnes omnium populorum li-  
 bros, monumenta, historias, & annales excutias,  
 quinimò, si in totius orbis abditissimos angulos,  
 intimosq; recessus, oras, atq; sinus introspicere  
 contingat; ne leuissima quidem occurreret causa,  
 ob quam non à Iesu Christo diuinitus introdu-  
 ctam, sed ab alio aliquo humanitus inuentam ef-  
 se Christianorum doctrinam vel suspicari sal-  
 tem liceat, id quod ipsum nomen Christianorum  
 à Christo sic dictorum luculenter ostendit. Quin  
 hic ipse Mahometh, qui nobis obijcitur, licet  
 effusè proteruus & prodigiosè impudens sit, dif-  
 fiteri tamen haud potest, ad Iesum Christum, ut  
 doctrina, sic Ecclesie Christianae initia esse refe-  
 renda, quem etiam dignitate cunctis Prophetis  
 excellentiorem esse palam pronunciat. Verùm  
 pressius urgere placet, & potentius confundere  
 oblocutores illos. Etenim quòd ille Satanae Apосто-  
 lus, Mahometes, ficta religione hominum oc-  
 cupauit animos; id ipsum consequutus est splen-  
 dido prætectu sacrorum Bibliorum; quorum au-  
 thoritatem, quia nouerat esse Christianis omni-  
 bus sacrosanctam, Iudaeis etiam scripta Mosaica  
 Propheticaq; authentica: hoc ipso plausibilem suam  
 effecit haeresin, quando se non aliam finxit profi-  
 teri doctrinam, quam quae concionibus Mosis &  
 Christi,

Christi, Prophetarum & Apostolorum pridem  
 esset in mundo diuulgata. Itaque ipsum hoc no-  
 stram de dignitate doctrinae caelestis sententiam  
 confirmat potius, quam ut ad minuendam eius  
 fidem quicquam valeat. Siquidem nisi prorsus  
 irrefragabilis inter mortales constitisset Mosis  
 & Prophetarum dignitas, Christi quoque & Apo-  
 stolorum eius sacrosancta maiestas et auctoritas,  
 ad quam Mahumetes originem sui dogmatis, li-  
 cèt falso nomine tituloque, retulit; profectò ne stu-  
 pidissimis quidem in re tanta fucum facere po-  
 tuisset ullum, qui omnium maximè Scriptura-  
 rum, quas ille Spiritus tenebrarum falso iactabat,  
 pretextu splendido circumuenti, & in funestam  
 eam fraudem induciti fuerunt. Huiusmodi verò  
 pretextu, & ad struendas veritati insidias præ-  
 rogatiuam caruisset is, qui Biblia ipsa demùm exco-  
 gitare voluisset. Neque enim is in concilianda suo  
 dogmati auctoritate prouocare poterat ad tale  
 quid, quod iam antè omni dubitationi inter ho-  
 mines exemptum foret, cui ille ceu fundamento  
 propositum suum superstrueret. Nec exemplo Ma-  
 humetis ad miracula Mosis & Christi, ad auctori-  
 tatem Prophetarum & Apostolorum confugere  
 valebat; quandoquidem nugator ille ut librum  
 Bibliorum totum, sic etiam, quæ de Christo, Mo-  
 se, Prophetis, Euangelistis, & Apostolis in eo le-  
 guntur,



guntur, tanquam Biblici libri partem, recens excogitasset; sed omninò nudus, omniq; ad probandum ratione, quæ vel leuissimam speciem haberet, fuisset destitutus, & tanquam manifestissimus impostor ab omnibus repudiatus. Quid? quòd Mahumetes hoc studuit, ut dogmata, quæ fabricauit, sui seculi hominibus quoquo modo grata plausibiliaq; redderet, quò faciliùs religionis à se compilatæ monstrum illud in theatrum ac proscenium orbis Christiani produceret, & placerent vulgo, quas fecisset fabulas. Nam cum eorum temporum mortales varietate sententiarum in rebus fidei multas in partes scissi, atq; in super diuturnæ concertationis, quæ inter Orthodoxos & horum Aduersarios; Arianos, Nestorianos, Eutychianos, aliarumq; opinionum sectatores, infestis utrinq; animis agitata fuerat, sic pertæsi essent, ut propè quamlibet conciliationem auide suscepturi viderentur; Mahumetes hanc sibi dandam operam putauit, ut diuersissimas opiniones atq; sectas, ad communem formam fidei vel potius infidelitatis redigeret seu cogeret verius, quæ & Gentibus, & Iudæis, & Christianis, & Arianis, & Nestorij discipulis, & Eutychis sectatoribus, atq; adeò quibusuis aliquo saltem modo satisfaceret. Quamobrem etiam in consuendo Alcorano à Iudæis & Hæreticis, Christianorum

titulo

titulo se venditantibus, adiut<sup>o</sup> legitur. Et ut in-  
 stitutum persequeretur feliciter, conceptamq<sup>ue</sup> do-  
 ctrinam disseminaret latius; quae creditu fuerant  
 difficilia, & in priorum seculorum controuersis  
 posita, impostor ille subdole praetermisit, ut Iudaeos  
 alliceret, Circumcisionis ritum per Christum &  
 Apostolos abrogatum, in usum renocandum cer-  
 suit. Ut Iudaeis & Arianis commendabilem red-  
 deret librum suum, mysterium adorandae Tri-  
 nitatis in illorum gratiam dispunxit, & Iesum  
 Mariae filium nec Deum nec Dei filium haben-  
 dum esse contendit. Veruntamen ne forte, si  
 omnem laudem derogaret Christo, ab instituto  
 suo abalienaret Christianorum animos: Prophe-  
 tam ipsum summum celebrat, qui vim ac vir-  
 tutem praeceteris à Deo acceperit. Et quia ma-  
 xima hominum pars ex impio tædio, fastidióque  
 doctrinae sanae, opinionem ferè Epicuream vi-  
 tamque dissolutiorem erat amplexa; ut in-  
 primis istorum hominum applausum conseque-  
 retur, admiscuit non pauca, quae hominibus  
 ad libidinem aliáque scelera proiectis ac propen-  
 sis adlubescunt, ut laxatis Christianae disci-  
 plinae vinculis profanos homines ( quorum nun-  
 quam non maxima in mundo pars est ) ad sese  
 pelliceret atque inuitaret. Hinc sub praetextu  
 veteris Testamenti Polygamiam permittit, ut  
 quas

quas & quot visum est, uxores ducere sit integrum, easdemq̄, cum animo collibuerit, dato repudij libello à se rursus dimittere. Concedit alia etiam, quibus velut illecebris homines carnis voluptatibus immersos ad doctrinae suae approbationem nullo negotio perduxit.

Iam verò si sacram sacrorum Bibliorum scripturam examinemus; quàm ibi, Deum immortalem, nihil omnium harum technarum licet animadvertere? Doctrina Biblica certè, seu (quod idem est) religio Christiana, tam non est ad cursum temporum accommodata, vel ad placita hominum conformata, ut cum iisdem velut aduersa fronte pugnet, humana omnia reiiciat, sapientiam hominum in iis, quæ salutis negotium attingunt, prorsus damnet; ea, quæ ab hominis arbitrio profecta sunt, manifestè improbet: peccata, ad quæ suapte natura propendet homo, in infernum usque detestetur: econtrà verò requirat ea, quæ nec in nobis sunt, nec à nobis proficisci possunt; veluti mundum, & quæ in mundo sunt, abiurare & negligere; mundanis seculi huius concupiscentijs aeternum valedicere; seipsum suaque omnia pro nihilo ducere; propriam sapientiam pro stultitia, iustitiam

verò

verò suam pro reiectamentis habere, diligere inimicos, orare pro ijs, qui pessima quæq; nobis & volunt & faciunt; deniq; ea credere, quæ coram humana ratione non modo absurda, absona, incongrua; sed prorsus etiam apparent incredibilia & impossibilia.

Quapropter hinc quoq; cernitur immensa dissimilitudo, cur Mahumetana superstitio tanquam ad hominum intelligentiam, arbitrium & cupiditates apposita facilius à profana mentis hominibus susciperetur; doctrina verò Christiana (si humanitùs tantùm inuenta, & non efficacissimis Christi Apostolorumq; signis & miraculis humano generi cõmendata esset) nunquam in æternum persuaderi hominibus potuerit; multò minùs tot seculorum voluntates tam constanter in eius obedientiam consensura fuerint. Quæ ratione argumentum quoq; de nouitate, suprà nobis obiectum, eodem impetu labefactatum cõcidit. Sunt omninò homines naturà nouarum religionum cupidi, sed earum duntaxat, quæ verbo Dei quoquo modo contraria, rationi verò consentaneæ peruersæq; voluntati conformes sunt; quibus si semel subscripserint, haud facile etiam antiquas iam factas, & diuturna consuetudine inueteratas proyiciunt, ut aliam amplectantur nouam; cum vicissim eam, quæ verbo Dei præscribitur,

tur,

tur, siue antiqua sit, siue recens patefacta, corrupta natura odio tadioq; fastidiant, nec nisi potentissimis rationibus expugnati & subacti assensum ei praebeant.

Maximè omnium verò ad blasphemiam Alcorani Mahometici longissimè latissimeq; propagandā fecit & valuit, quòd ille Pseudopropheta instituti sui, de quo dictū est, publicationē ad id tempus distulit, quo ex humiliore cōditione ad altiorē fortunam emerfit, & potentiae vires collegit eas, quas sibi satis esse putabat, ad immutandā doctrinæ rationes pridem conceptas ac descriptas in apertum atq; publicū proferendas. Tum enim factum abortiuum suum est enixus, & ad illum recipiendum armata vi manuq; bellica quosuis adigere conatus. Armis itaq; primitus introducta est Turcici Alcorani barbaries, armis deinde in Orientem omnem disseminata, & ad hanc nostram usq; etatem armorum praesidijs atq; minis conseruata: quemadmodum non dubitauit illa importuna belua gloriari: Non se venire in virtute miraculorum, sed gladij. Quid mirum ergo, si mortis formidine ad approbandam impietatē ij etiā permoti sunt, quibus aliās nullis insidiosis technis, nullis imposturis & fraudibus irreligiosa illa religio, seu potius immanis & barbara superstitio, persuaderi valuisset? Confer huc denuò

E religio-

*religionem nostram; & inuestiga diligēter, num  
 & ipsa violentis hiscerationibus & adminiculis  
 in orbē inuecta, dilatata, & ad nos nostraq; tem-  
 pora sit transmissa? Testantur verò historia, cum  
 Ecclesiastica tum profana, doctrinam Euangelij  
 per Apostolos, citra vllum strepitum armorum,  
 sola prædicatione, quæ Spiritus virtute miracu-  
 lorumq; Christi munita præsidio esset, in omnium  
 gentium orbem sparsam, vnanimiq; populorum  
 assensu pro indubia veritate cognitã receptamq;  
 fuisse. Contrà verò, quàm acribus studijs, quàm  
 magnis moliminibus, quàm validis ictibus oppu-  
 gnata sit Ecclesie nauis, & attentata Christiane  
 congregationis religio, sub seuiſſimis illis horribi-  
 lium persecutionũ procellis, quando in exitiũ ve-  
 ritatis extrema quæuis & minabatur & machi-  
 nabatur orbis Monarchæ: nō modo scriptores Ec-  
 clesie domestici, sed exteri quoq; seu pagani, velut  
 Cornelius Tacitus, Plinius Secundus, atq; itē alij,  
 cōstanti narratione sunt testificati. Ex tot igitur  
 tantisq; diuersitatum ostensis rationibus, immo-  
 tum adhuc perstat & inconuulsum id, quod suprã  
 firmissimis demonstrationibus astruximus, vi-  
 delicet libros Noui Testamenti, & in ijs descri-  
 ptam religionem nulli alteri autori, nisi Christo,  
 nullis scriptoribus, nisi Apostolis & Euangeli-  
 stis posse attribui. Solebant enim primitiua Ec-  
 clesie*

clesiae discipuli, & celebres Ecclesiae orbis, apud  
 quas sua scripta deponebāt Apostoli, quā religio-  
 sissimē ea custodire. Et cū quidā Apostolica do-  
 ctrinae Canō propter irruētes haereses constituen-  
 dus esset; ea tantū in Canonē ascuerunt scripta,  
 de quibus indubitato constabat, infallibiaq; te-  
 stimonia proferri poterant, quōd ex illorum ma-  
 nibus accepta essent, quorum nomina profiteren-  
 tur; reliquis scriptis quamlibet eximijs, de quorū  
 tamē autoribus vel minimū dubitabatur, non  
 inter Canonica sed Apocrypha numeratis.

Posteaquā igitur à nostra hac aetate, in qua  
 uiuimus, retrogressi peruenimus ad Scriptores  
 ipsos sacrorum voluminum Noui Testamenti, &  
 rationibus iuuictis ad oculum demonstrauius,  
 à Iesu Nazareno ut Autore; ab Apostolis & Euan-  
 gelistis verò ut prapaganda religionis electis or-  
 ganis & administris, fidei Christianae fundamen-  
 ta prima in mundo esse iacta: nunc, ut certitudo  
 rei nulla usquam sui parte fatiscat aut labascat,  
 ipsos illi Christi seruos, Euangelijq; primos in or-  
 be praecones, quaeso, intueamur; quā illi sint in  
 suis scriptis omni fide & approbatione longè di-  
 gnissimi. Hinc ad supremum fidei Magistrum,  
 filium Dei, progressuri, miracula, quibus Euan-  
 gelica praedicationi plenam fidem fecit, exami-  
 nabimus.

Apostolos igitur & Evangelistas, qui histo-  
 riam dictorum factorumq; Iesu literis consignã-  
 runt, rem omnem, uti gesta est, sancta & incor-  
 rupta narratione memoria hominum prodidisse,  
 tam est certum, ut piaculum atq; nefas sit, de eo-  
 rum veritate veltantillum ambigere. Quis po-  
 terat esse locus in re tam insigni, tam ardui mo-  
 menti, tam in omnium Iudaeorum recente me-  
 moria adhuc versante cõminiscendi quicquam?  
 Et quæ hæc esset, non dicam, inaudita temeritas,  
 sed manifestus furor & amentia, si publicis vo-  
 cibus atq; scriptis asseuerare fuissent ausi, extitisse  
 in populo Iudaico Iesum quendam Nazarenũ,  
 innumeris & inauditis miraculis celebrem; si  
 nec in Iudæa nec Galilæa quisquam ab eo ullum  
 signum editum esse meminisset? Et quo ore po-  
 tuissent Apostoli Sacerdotes, Scribas, Phariseos,  
 adeoq; totam incredulorum Iudaeorum turbam  
 ob hoc ipsum acerrimis concionibus & scriptis  
 perstringere, quòd tot signis in illorum oculis &  
 conspectu designatis ad fidem Iesu Christi se cor-  
 rigi non fuissent passi; si quæ de signis Iesus refe-  
 runt, non facta, sed ficta; non in medio Iudaeorum  
 gesta unquam aut edita, sed in fraudem Iudaicæ  
 religionis excogitata forent? Nonne enim tota  
 gens Iudaica, iam antè Christiano nomini in-  
 sensissima, plenis reclamasset tibijs, & res ipsa  
 pro-



proiectam hanc vanitatem in fumum atq; nihilum dissipauisset? Vt rem exemplo reddam illustriorem: putasne, in quenquam cadere posset tam prodigiosam confidentiam, ut per mendacium omnium oculis atq; manibus obuium conetur persuadere mundo, fuisse anno praecedenti 1588. quendam in Saxonia, vel Palatinatu, vel Hassia nostra, virum, qui virtute planè caelesti innumera- rables curârit egrotos, illustrârit cecos, recreârit surdos, loquendi facultatem reddiderit mutis, membrorum integritate donârit claudos, consolidauerit paralyticos, sanauerit hydropicos, emundârit leprosos, liberârit demoniacos, omnisq; generis morbos infirmitatesq; nutu profligârit, aquas etiam in generosum vinum conuerterit, feceritq; alia complurima tum maxima prodigia, tanto numero, ut describendis omnibus atq; singulis nullius humani ingenij par esse possit facultas? Et sanè audeat quis tale aliquid e mentiri: num verò ad conciliandam fabulose orationi fidem auderet annotare loca, nominare ciuitates, oppida, castella, vicos, personas ipsas quoq; designare, in quibus memorata signa euenissent? cum ignorare posset minimè, ne vestigium quidem illorum omnium ijs in locis, si inquiratur, inueniri, imò etiam sine omni inquisitione figmentum hoc ut notoriè & manifestè falsum, à cunctis sana

*mentis hominibus repudiatum iri, neq; adeò fieri  
 posse, ut quisquam verum esse opinetur, nisi pror-  
 sus excors & amens sit? Circa narrationē autem  
 sanctorum Apostolorum & Euangelistarum lon-  
 gè accidit diuersissimum. Erant enim ea, quæ de  
 signis Iesu referebant, tam solidè vera, tam uni-  
 uersam Iudeam & Galileam peruagata, tam fir-  
 mis ac fixis vestigijs memoria hominum impres-  
 sa, ut ea ne quidē illi iuratissimi hostes Iesu Chri-  
 sti, Iudæi, licet aliàs gnauiter impudētes, inficiari  
 vel possent vel auderent. Qui Saluatori Christo  
 testimonium publicum publicis suis libris Thal-  
 mudicis perhibent, quòd claudos sanauerit; quòd  
 pristino vigori sanitatig; restituerit leprosos;  
 quòd defunctos à morte ad vitā reuocārit: quan-  
 quam obtendunt interim, virtute verbi mirifici,  
 Schemhamphoras, ipsum talia perfecisse. Quo ef-  
 fugio suam potius deploratam & perditam cæci-  
 tatem produunt, quàm ut splendori maiestatiq; si-  
 gnorum Iesu quicquam caliginis offundi crassis-  
 simo hoc commento queat. Iam verò accedit insu-  
 per, quòd Apostoli suā & prædicationē et scriptio-  
 nem non tantum asseuerāunt verbis, nec iuris-  
 iurandi religione solum confirmāunt; sed quòd  
 omnium est maximum, suo illam sanguine corro-  
 borāunt, minimè dubitantes pro asserenda illius  
 certitudine suū caput in discrimē offerre, præsen-  
 tissimamq;*

tissimamq; mortē oppetere. Quis autem, obsecro, tam profligata esset insania, qui ob rem incertam aut confictā sufferret contumelias tam insignes, ipsamq; adeo probrosam et acerbā mortē? Nō nego fuisse inter Ethnicos inuentos, q; quodā animi impetu spontaneā subirent mortē; verūm aut pro patriae salute, aut re quapiam honesta memorabiliq; alia, quā publicis sermonibus atq; literis ad posteritatem decantatū celebratumq; iri sperabant. At pro confictis à se somnijs & excogitatis mendacijs nullo virtutis impetu, nullo vel suae vel suorum salutis libertatisue asserēda studio, lucro & emolumento nullo, nulla vspiam spe vel terreni cōmodi, vel premij caelestis expectatione, velle contemni, probris affici, virgis cedi, flagris lacerari, omnes opes suas, omnes facultates, omnes fortunas, omnē libertatē, omnia deniq; tēporalis vitae huius praesidia & ornamenta amittere, quin seipsum mortē acerbissimā ultrò obijcere; atq; haec omnia ferre ac perpeti pro mendacio à se conficto, cuius nec diurnitatem aliquā ob manifestā vanitatem, nec gloriā inde ullam, ob turpitudinē sperare possis; id verò nullius humanae vel audaciae, vel peruicaciae esse dixerim. Quare quod Apostoli pro doctrina de Iesu Christo nullis nō aduersitatū fluctib; circumferri, nullis non excruciarī calamitatibus, nullis non suppliciorū generib; atq; modis contrucidari

sustinuerunt, & vel mille mortes adire maluerunt, quàm à Christianismi professione sancta resilire ac deficere; nimirum ipso factò manifestissimè declararunt toti mundo, se talia sufferre non pro dogmate vano aut ficto, sed cuius inconcussam firmitatem ac certitudinem ad unguem comperitam exploratamq; teneant. Quod coram Sacerdotum & Phariseorum senatu neutiquam dissimulant duo clarissimi Apostoli, Petrus & Iohannes, quando ad illorum interdictum insigni cum  $\pi\lambda\nu\rho\rho\rho\rho\rho$  respondent: An iustum sit in conspectu Dei, vos potius audire, quàm Deum, iudicate. Non enim possumus, quæ vidimus & audiimus, non loqui.

Ergò iam ab Apostolis ad ipsum Dominum Iesum in miraculis eius contemplandum nos convertimus; quemadmodum hi sanctissimi testes & confessores illum nobis descripserunt. Huius rebus miraculosè gestis, quis, per Deum immortalē, potuit inesse fucus? cùm omnem suspicionem prestigiæ ex animis legentium potentissimè delere valeant irrefutabiles signorum effectus, quos cum solida firmitate coniunctos fuisse, demonstratu perfacile nobis est. Agite, explicemus annales Evangelicos, & exempla hinc quædam depromamus. Iohannis 5. capite iubet Christus hominem diuturno morbo penè confectum  
surgere,

surgere, & grabbatum, in quo triginta octo an-  
 nos integros decubuerat, perferre domum. Surgit  
 ille, ad vocem Christi sanus confestim totoq; cor-  
 pore firmus & integer. Vbi ad Salvatoris nutum  
 subito radicitus exterminatur morbus, qui altis-  
 simè prius omnibus membris insederat, & tot  
 annorum spacio inueteratus, propè in naturam  
 hominis abierat. Succedit vicissim totius corporis  
 habitus longè alius, ac vigor planè nouus, ut, qui  
 prius se vix loco mouere quauerat, nunc, consoli-  
 datis membris collectisq; miranda ratione viri-  
 bus, in pedes exiliat, lectum suum tollat ipse, do-  
 mumq; vadat, cunctis, qui aderant, summa cum  
 admiratione inspectantibus. Sic Matthai nono  
 coram frequenti Iudaeorum concione curat homi-  
 nem insigni paralysi sic debilitatum, sic viribus  
 exhaustum ac deperditum, ut de recuperanda  
 valetudinis integritate penitissimè videretur  
 desperatum. Eum iubet itidem surgere, lectum  
 tollere, domum vadere. Ad quam vocem para-  
 lyticus memorabili prodigio sic nouum repentè  
 acquirit robur, ut in conspectu populi, qui fre-  
 quentissimo accursu ad Dominum Iesum conflu-  
 xerat, lectum suum citra aliorum opem in hume-  
 ros conijciat, & domum suam abeat; non proti-  
 nus ex hominum oculis euanesceat, sed multò ad-  
 huc temporis superstes, ut gloriã Christi annun-  
 ciare,

ciare, acceptumq; ab illo beneficium inter mortales prædicare posset. Quid hinc prestigiarum fingi saltem vel nunc potest, vel tunc poterat à Pharisæis, deploratissimis dictorum & factorum Christi hostibus? qui ad vocem, qua peccatorum veniam nunciabat paralytico, gruniebant quidem, murmurabant, rinebantur, respectabant sese, blasphemabant: miraculum verò ipsum neq; negare ob euidentiã, neq; reprehendere ob manifestam diuinã maiestatis vim atq; sensum vel audebant vel poterant. Sic in Euangelio Iohannis capite nono, Christus hominis ab ultima infantia cæci oculos aperit & visionis lumine collustrat; idq; miraculum mox in cunctis Iudææ finibus inclarescit. Quid & huic signo potest subesse fraudis? cæcus fuit ille ex matris utero productus; cum hoc cæcitatũ malo conflctatus iam quadraginta continuos annos. Quod tam euidenter nouerat homo ille, quàm quisquam suos nouit digitos, ut potè qui non poterat non esse miseriæ suæ sibi conscius; atq; hoc ipsum profitetur etiam ingenua confessione coram Senatu Pontificum & Pharisæorum, non sine grandi suo periculo. Sciebant & palam testabantur ipsum hoc parentes eius, sciebant omnes, quotquot illum à puero nouerant. Et (ut præcipuas res gestas Saluatoris in compendium redigam) quibus tandem prestigijs fieri poterat

poterat, ut Iairi primatis Synagoga Iudaica  
 filiam, cui exequiæ parabantur, ut viduæ filiam  
 iam sepeliendum, ut Lazarum in sepulchro  
 iam agentem, ad vitam reuocaret humanam  
 istam ac familiarem inter mortales longissimo  
 adhuc tempore exigendam, quos verè viuere,  
 actiones omnes quas prestabant, & opera,  
 que faciebant, irrefragabilia, quàm solidissi-  
 mè commonstrabant? Quæ superstitio pote-  
 rat efficere, ut Dominus Iesus leprosos, qui  
 publica censura tales agniti iudicati que fuerant,  
 unico sanaret verbo? ut quinque panibus &  
 duobus piscibus plus quàm quinque hominum  
 millia deserto loco pasceret, & de residuo tol-  
 lerentur duodecim fragmentorum sportæ siue  
 calathi? ut in nuptijs Canæ celebratis aquam  
 in vinum conuerteret? ut ad ipsius imperium  
 saeuientis maris fluctus atque venti subito con-  
 filescerent? ut ad passionem & mortem il-  
 lius, Sol præter naturæ legem plenilunij tem-  
 pore obtenebraretur; discinderetur velum  
 templi; rumperentur ac dissilirent petrae; orbis  
 terrarum inusitatis motibus intumescens longè  
 lateq; tremere; sepulchra defunctorum corpora  
 eijcerent; ipsè que verè in cruce mortuus, verè  
 in horto sepultus, die tertia è monumento  
 sigilli cautione communito resurgeret, eiusque  
 gloriosa

gloriosa resurrectio custodum narratione Phariseis Sacerdotumq; Principibus innotesceret; atq; adeò fama signorum eius non iam intra Iudææ & Galilææ terminos se contineret, nec in finitimas duntaxat regiones se proferret ac diffunderet; sed etiam ad gentes longissimè remotas celebri constantiq; prædicatione pervaderet, ita ut nulla usquam esset ora tam deserta, quam non Christi nomen incredibili celeritate peruagaretur.

Quemadmodum etiam visibilis illa Spiritus sancti effusio super Apostolos, virtute regnantis Christi perfecta in die Pentecostes, tam fuit insigne miraculum, ut id nulla usquam perficere potuerit, ve etiam num imitari possit creatura; nimirum, quòd homines, illiterati hæcenus, scripturarum Propheticarum exactam intelligentiã animis conceperunt subito, cunctarumq; linguarum, quæ sub cælo sunt, notitiam momento sunt consecuti. Quod prodigium in populo Iudaico occultum esse nullo modo potuit; cum non in angulo aliquo designatum, non in obscuro pago gestum, non paucorum oculis conspectum sit, sed in frequentissima vrbe, coram celeberrima corona plurimorum millium, qui Ierosolymam è cunctis nationibus orbis ad festi solennitatem frequentandam confluxerant, ut in Actis legitur. Et certitudinem



rudinem miraculè ad omnium populorum oculos, aures atq; animos demonstravit res ipsa. Nisi enim hoc linguarum dono cœlitus illustrati fuissent Apostoli, sed solam tenuissent vernaculam; quâ fieri poterat, ut brevissimi temporis decursu Euangelium omnibus omnium linguarum & idiomatum populis innotesceret in uniuersis Imperij Romani prouincijs, exterisq; regnis & insulis? sicut quidem Apostolus Paulus suis illis temporibus, ferè circa primum Euangelicæ lucis exortum, doctrinam de Christo apud uniuersam creaturam sub cœlo prædicatam, & in hunc vastissimum cunctarum terrarum atq; gentium orbem longè latèq; diffusam esse scribit. Quod non nisi plurimarum adeoq; omnium linguarum præsidio fieri potuisse, quis est, qui non intelligat? non animaduertat?

Per Apostolorum quoq; manus, ut Scriptura loquitur, quãta prodigia Christus in dextra virtutis sedens ediderit, Acta testantur Apostolica. Quæ ab Autore libri, Luca Euangelista, confingi propterea non valebant, quòd in illorum recitatione designantur loca, regiones & vrbes, exprimuntur persone, in quibus ea sunt edita. Quam narrationem notoriæ vanitatis accusassent, & perspicuè conuicissent hostes Christiani nominis, Iudæi simul & Gentiles, si ex fabulis ea potius, quàm

quàm rebus ita gestis fuisset conflata. Id verò ad eò non fuerunt ausi vel gentiles vel Iudæi, ut scriptores Ethnici ob hæc ipsa miracula, quibus nobilitata erat Ecclesia, Christianam religionem appellârint superstitionem maleficam. Quo conuitio non tam declarant odium inueteratum, quo aduersum confessores Euangelij flagrant & æstuant, quàm vel inuiti testimonium dicunt de miraculis, quibus Ecclesiam illustrârunt beati Apostoli. Quo etiam prætextu Paulus ad Corinthios scribens iactâisset signa Apostolatus sui à se in ipsorum medio peracta, cum omni patientia & signis, & prodigijs, & potentibus factis: si Corinthij nullum à Paulo signum in sua vrbe editum sciuisent? Et qua fronte Paulus in suis passim Epistolis, Lucas item publico scripto Actorum Apostolicorũ, vilam fuissent ausi mentionem facere mirandi linguarum doni, quo subito fuerat locupletati, qui Baptismatis sacrum ab Apostolis percipiebant: si præclarissimum illud signum nusquam cuiquam in orbe visum conspectumq; fuisset? Videmus ergò, quàm egregiè & Christi & Apostolorum miracula aduersus omnem vel doli vel incertitudinis suspicionem undiquaq; munita sint, & quàm efficaciter nobis doctrinae Apostolicæ veritatem obsignent.

XV. ARGUMENTUM,  
à miranda propagatione do-  
ctrinae Evangelicæ.

*Ipsa quoque miranda propagatio doctrinae Evangelicæ documentum est omni humano testimonio maius & illustrius, eam non hominum arte inuentam, sed cœlitus patefactam, diuinæque potentiâ in mundum introductam esse. Quæ propagatio Evangelij quia Maiestatem doctrinae mirificè confirmat & extollit, placet in huius argumenti explicatione singulas rei circumstantias accuratè perpendere.*

*Primò docent Ethnica vetustatis monumenta ad unum omnia, fuisse Gentes ante patefactum sub Christi regno Evangelium prorsus demersas in cœnâ crassissimæ superstitionis & idolomania, qua vitæ huius atque lucis usuram, qua illum, quem ducebant Spiritum, qua patriam, qua coniuges & liberos, qua & pacis ornamenta, & bellè præsidia, & victorias, & triumphos, & libertatem, & consiliorum prosperos successus, & actionum omnium suarum letos optatosque euentus adscripserunt ijs, qui, ut Apostolus ait, & res ipsa docuit, naturâ dii non erant, nihil in suis templis atque delubris, nihil in precibus suis, nihil in peragendis sacris cultibus crepantes aliud,*

aliud, nisi Iouem, Martem, Apollinem, Minervam, Neptunum, Herculem, Mercurium, aliaq; ficta & falsa numina, quæ nusquam non in scriptis Ethnicorum Oratorum, Philosophorum & Poëtarum occurrunt. Hæc porro superstitio diuturnitate plurimorum seculorum inueterata & corroborata, eas in mundo radices egerat, ut religionem idolatricam suam suprema vi bellica defendendam, proq; ea cum vitæ discrimine depugnandum, dimicandumq; putarent; quod velex vulgato ac trito hominum sermone proverbio patet; pro aris atq; focus. At quàm miranda cunctisq; insperata mutatione Apostoli hos idolorum cultus, sine ullis armorum præsidijs, sola prædicatione verbi deiecerunt & abrogârunt? introduc̃ta vicissim doctrina Evangelij de Iesu crucifixo & resuscitato, in quo totius mundi salus sit posita? Quæ doctrina cunctis retrò seculis inter gentes inaudita, Iudæis quidem offendiculum, Ethnicis verò stultitia fuerit. Et quidem si concio beatorum Apostolorum mundanæ sapientiæ calculo probata foret, minore negotio maioreq; successu videtur potuisse propagari. At non modò pugnat cum rationis humanæ sensu, verùm etiam voluntati hominum è diametro sic est opposita, ut illam quivis non renati, præsertim Ethnici, quodam depravatæ naturæ sensu tacito odioq;

odioq; respuant & auersentur; idq; eò magis, quòd à nobis ea requirat, quæ cum hominis corrupta natura perfectè pugnant, ea vicissim damnet, quibus toto affectu studioq; homines sunt dediti. Et quoniam fastidium illud ij quoq; sentiunt, qui eius se cultores profitentur, eamq; pro cælesti ac sacrosancta habent; quid de his existimandum fuerit, qui superstitionibus Ethnicis, non dicam, auita maiorum consuetudine tot seculis addicti, sed à natura ipsa ad illarum furorem potius quàm amorè imbuti inflammatiq; fuerant? Quòd ergò concio Apostolorum naturam mundo inimica, nullis humanis armata viribus, tempore tam breui, apud disiectissimas in mundo nationes ac gentes cælestis & indubiè veritatis testimonium est sortita; id demùm ex merito appellari potest & agnosci debet miraculum miraculorum omnium, quo regnantis Messie gloria in omnium gentium conspectu mirificè est illustrata. Vnde Paulus incomparabilis Apostolus haud abs re magnum pietatis mysterium esse exclamat: quòd Deus manifestatus est in carne, predicatus gentibus, & fides illi in mundo habita. Eorum, quæ dicimus, euidencia magis etiam erit obuia, si opus illud propagati Euangelij per Apostolos cum ea reformatione conferatur, quæ nostro perfecta seculo etiamnum in recente memoria

F homi-

§2 DE MAIEST. ET CERTIT.

*hominum infixam heret, & ante oculos versatur.*

*Verè diuinum opus fuisse reformationem per Lutherum factam, nemo in religione sanus ac pius negauerit. Quis enim non oppidò miretur, quòd homo inermis, ac solus ferè, citra adminiculum humanarum virium, totius mundi potentiae se opposuit, & Dei presidio munitus Romanum Papam è solio Pontificiae dignitatis maiestatisq; deiecit? quod antegressis seculis nulli Imperatores vniuersis legionibus atq; copijs suis effectum dare poterant. At si collatis circumstantijs & hanc Lutheri nouissimam & illam Apostolorum primam inter se contendas: haud inuitus, opinor, largieris, reformationem primam illam, Apostolorum partam ministerio, longè difficilior, ac proinde illustrius fuisse opus, in quo magnifica Dei virtus sese potentioribus effectis ostenderit. Nam D. Luthero cum ijs erat negotium, apud quos volumen Bibliorum iam antè sacrosanctum habebatur: quare tantò planior & expeditior patebat ad reformationem via. Apostolis autem res erat cum ijs hominibus, quibus & Bibliorum liber & doctrina religionis de Christo fuerant omni ex parte noua, incognita, inaudita & incomperta. Quare ut in fascem colligam huius argumenti neruos: quòd Christus sanctis Apo-*  
*stolorum*

stolorum laboribus doctrinam Euangelij cunctis  
 sub Sole nationibus Ethnicis prius inauditam, or-  
 bi terrarum citra omne praesidium armorum in-  
 uexit: quod idolatriam tot seculorum uerustate  
 firmatam ex hominum animis atq; cordibus ex-  
 tripauit funditus; quod idolorum sacra uerbo il-  
 lo haud aliter ac diuino caelestiq; fulmine deiecta  
 conciderunt & euanuerunt; quod gentes rebus  
 & modis omnibus discrepantes, superstitioni-  
 bus idolatricis aeternum abiuratis, hanc concio-  
 nem crucis, quantumuis coram mundana sapi-  
 entia stultam ac stolidam, pro indubitata ueri-  
 tate receperunt, & ad Iesu Christi vexilla sese  
 concitatissimo accursu aggregarunt: quod de-  
 niq; totius mundi regiones atque insulae uix cu-  
 iusquam passibus aut remigum beneficio celerius  
 perambulari potuissent, quam Apostolorum  
 non dicam peragratae cursibus, sed concionibus  
 subacta, regnantisque Christi praelijs, sed in-  
 cruentis, uictorijs item, miraculis, triumphis,  
 spolijsq; sunt illustratae: Haec, inquam, & seorsim  
 singula, & coniunctim uniuersa, plenissimam  
 nobis faciunt fidem, à Deo esse opus hoc,  
 quod totius mundi sapientia potentiâque  
 nec consilijs suis interuertere, nec robore  
 aut uiribus inhibere, nec bellorum minis  
 disicere, nec obiectis undique impedimentis

*cùm varijs, tùm vero gravissimis, ullo pacto ul-  
laueratione retardare potuit.*

**XVI. ARGUMENTVM,**  
à miranda conseruatione illius cœ-  
tus, qui scriptorum Biblico-  
rum custos est.

*Ceterùm non minùs præclarum testimonium  
est veritatis doctrine cœlestis, quòd Ecclesia huic  
fundamento Prophetarum & Apostolorum su-  
perstructa contra furores Diabolorum & perse-  
cutionũ procellas continuas semper inexpugna-  
bilis persistit. Nolo percensere fusiùs, quàm gra-  
uiter primævi & originalis mundi Ecclesia fue-  
rit oppugnata à Cainitis impijs; ad quas angu-  
stias redacta sub antiquis Patribus, Abrahamo,  
Isaaco, & Iacobo; quàm horribili seruitute in  
Ægypto pressa & quassata; & cùm in terram  
promissam essent collocati Israëlitæ, quàm hostili-  
ter à vicinis gentibus afflicti, à longè distis et-  
iam haud rarò diuexati, & quantis defuncti  
malis atq; miserijs sub exilio Babylonico, sub An-  
tiocho deinde Epiphane, tyranno post hominum  
memoriam teterrimo & crudelissimo, qui Dei  
populum vi, manu, copijs, adeòq; ferro & flamma  
delere conat⁹ est; sub Romanis deniq; à Romana-  
rum copiarum ducibus, Cneio Pompeio, M. Cras-  
so, &*



So, & alijs: ita, ut nisi Deus pusillum suum gregem sub illis immanium & infidelium populorum concitatis motibus defendisset, Ecclesiaq; nauem inter saeuientes turbines, fluctus, & tempestates huius mundi supremo suo presidio gubernasset & conseruasset: tantis profecto malis & aduersitatibus superandis neutiquam par esse potuisset. Verum multo mirabilior est conseruatio Ecclesiae Noui Testamenti. Et quidem ut Diabolus omnes infernales machinas aduersum Apostolos produxerit, paulo ante est expositum. Apostolis vero partim adhuc uiuentibus, partim in Domino pie defunctis, cum adhuc recens ac tenera esset Christi in terris Ecclesia; sermone nullo satis explicari potest, quam hostili horribiliq; conatu fuerit oppugnata & infestata. Vniuersum agmen Philosophorum & Oratorum, & quicquid uspiam eruditionis aut sapientiae laude aliqua pollebat, uno studio, uno impetu, contra Euangelij doctrinam ingenij sui vim & facultatem explicabat omnem, atq; huc velut ad praefixum scopum tela uniuersa sua certatim & effuse conuertebat, ut illa sempiterno exilio mulctata è rebus humanis excinderetur. Qui vero praepotentes erant in terris, suarum opum viriumq; copias simul omnes incredibili molimine expediebant, quò Ecclesiam verbo Dei recens plantatā ab ima

radice reuellerent. Hinc decem numerantur insignes maximeq; diuturnæ persecutiones, quæ trecentis annis continuis Christianos mirificè exercuerunt, concitata à summis & potentissimis Monarchis, Romanis Imperatoribus. Et ut numero comprehendam, in excidium Ecclesiæ conspirauerat totius orbis potentia: ipse porta inferorum, & Diabolorum exercitus, quasi collatis signis iunctisq; copijs aduersus eam infesto agmine preliabantur. Sed in fumum dissipatus euauit omnis eorum conatus, & sub his ipsis tempestatibus ac fluctibus persecutionum mirabiliter creuit Ecclesia, sanctorum martyrum sanguine non debilitata aut imminuta, sed potius plantata & irrigata, sicut scriptores Ecclesiastici ij; Patres contestantur, qui insignium istarum rerum astitere fidei testes. Hoc ingenti motu persecutionum vix aliqua parte sedato, cum iam Imperij Romani gubernaculis pij & moderati Cæsares presidere inciperent: Diabolus inuidens Ecclesijs ista halcyonia, mox alias protulit machinas, alias infernales furias ex abyssi puteo produxit, quarum operâ tranquillitatem rerum Christianarum de nouo disturbaret, omniaq; ex imis sedibus commoueret. Hereticos in aciem produxit, per quos haudquaquam leuiore conatu, religioni quidem occasum, Ecclesijs Christianis

verò

verò perpetuum excidium vastitatemq̄ minaba-  
 tur. Atq̄ nihilominus contra omnes illas tem-  
 pestates saeuissimas inconcussa perstitit Ecclesie  
 nauis, summi gubernatoris Christi freta presidio:  
 pressa etiam nonnunquam, palmæ instar in al-  
 tum sese contra pondus erexit, deq̄ suis hostibus  
 gloriosissimas subindè reportauit victorias, quip-  
 pè super petram salutis sic edificata, ut portæ in-  
 ferorū aduersus eam præualere nequeant, quem-  
 admodum Dominus sanctè pollicitus est, quando  
 se illi murum igneum firmissimumq̄ propugna-  
 culum fore passim promisit. Quamobrem ex his  
 quoque dictis plus quàm manifestum est: si hu-  
 mano duntaxat & non Dei niteretur auxilio cœ-  
 tus iste, qui scripta Prophetica & Apostolica  
 complectitur; eum in his furoribus Satanae, in  
 hoc extremo conatu organorum ipsius, in tam  
 varijs vicissitudinibus regnorum, in tristissimis  
 imperiorum ruiis, in tam inopinatis humana-  
 rum rerum commutationibus, in tam sauis per-  
 secutionibus, in tantis deniq̄ opinionum, here-  
 sium, diuersissimarumq̄ religionum confu-  
 sionibus, ne menssem quidem, ne-  
 dum tot secula constare  
 potuisse.

38 DE MAIEST. ET CERTIT.

XVII. ARGUMENTVM,  
á Sanctorum Martyrum  
constantia,

*Quàm tutò etiam huic doctrinae Propheticae  
& Apostolicae possimus nomen dare, hinc palam  
cernitur: quòd eius dignitatem innumerabi-  
lium Martyrum inuicta roborauit constantia.  
Siquidem pro confirmatione illius non modò viri  
innumeri, sed pia quoq; femina, atq; inter has te-  
nerrimae virgines, exquisita tulerunt supplicia et  
tormenta, humanis viribus aliàs intolerabilia;  
idq; non insano quodam impetu, sed Zelo sobrio  
animoq; tam praesenti, vt ista sua plus quàm hu-  
mana constantia ipsis etiam hostibus terrorem  
incuterent. Exemplum omnium temporum magno  
numero allegare promptum foret; nisi tam essent  
nota, vt proluxa enumeratione nihil egere  
videantur.*

XVIII. ARGUMENTVM,  
ab vniuersali omnium populorum te-  
stimonio, quod populi Dei rebus  
gestis perhibent.

*Egregiè insuper auctoritatem Scripturae vin-  
dicat argumentum ab vniuersali orbis omniumq;  
populorum testimonio sumptum, quorù quidam  
directè,*

directè, quidam verò inscī, contra & citra institutum animi sui, testimonium illi perhibent. De ijs, qui quoquo modo Christianorum nomine censeri volunt, nihil attinet dicere; quandoquidem ipso hoc augusto nomine, ceu symbolo professionis ostendunt, se Scripturæ sacræ libris ut diuinitus inspiratis subscribere. Sed & Turca, (qui longius à Christianismo recesserunt) tametsi Scripturæ veritatem amiserint; Scripturam ipsam tamen Veteris & Novi Testamenti cœlitus ad nos delatam tradunt, & in suo fatentur Alcorano; Mosē & Iesum Christum tanquam indubios Prophetas docuisse viam Dei, eamq; stupēdis confirmasse miraculis. Quod Iudæos attinet; quamuis & illi circa veritatē scripturarum naufragium sunt passi; tamē iam inde ab origine sue gentis doctrinā Patribus reuelatam, hoc est, scripta Mosi & Prophetarum, in Hebraico sibiq; vernaculo sermone descripta, unā cum Circumcisionis annexo Sacramento religiosè custodierunt, ut & suprā memini. Et quanquam hodierni Iudæi infideles scripta Novi Testamenti nō agnoscunt: tamen cum Veteris Testamenti certitudinem extra disceptationis aleam ponant; eo ipso Christianorum religionem confirmant inscī. Quandoquidem ea est Veteris & Novi Testamenti indivulsa connexio, ut, quod paulo prius etiam est di-

F s Etum,

Etum, Testamentum Nouum in Veteri funda-  
 tum, & e contra vetus in nouo impletum, explica-  
 tum & illustratum extet. Præterea hoc quoq; Iu-  
 dai quamuis impudentissimi negare nunquam  
 sunt ausi: fuisse olim in Iudæa ex propria sua  
 gente oriundum Iesum Mariæ filium, à quo hæc  
 doctrina religioque Christianorum in Iudæa  
 initio proposita, ac deinde Apostolorum mini-  
 sterio in omnem terram sit sparsa. Ac licet eun-  
 dem Messiam esse negent: tamen claritate va-  
 ticipiorum Prophetorum, impletione eorun-  
 dem in Iesu Christo, propagatione Euangelij in  
 mundum, aggregatione gentium ad Messiam  
 nostrum facta, ipsa deniq; ratione temporis alia-  
 rumq; circumstantiarum congruentia, constri-  
 cta tenetur eorum mens & conscientia, quod  
 tempus aduentus Messie in Prophetis destina-  
 tum, ante annos mille quingentos & amplius ef-  
 fluxerit: siquidem ante totidem annos euoluta  
 est periodus hebdomadam septuaginta Danielis,  
 quæ futura erant à tempore restaurati Templi  
 post exilium Babylonicum vsq; ad ducem Chri-  
 stum: translatum à Iuda sceptrum, quod, Iacobo  
 vaticinante, certissimum signum esse debuit ad-  
 uentus Christi; euersum oppidulum Bethleemiti-  
 cum, in quo nasci Messias debuit: destructum &  
 solo equatū templum illud post reditum ex Baby-  
 lone

lone conditum, quod Messiae in eo docentis gloria praesentiaque replendum, praedixerunt duo religiosissimi testes ac Prophetae Aggaeus & Malachias: sublatus quoque sacrificiorum ritus, quod Ieremia & Daniele testibus sub Christi regno fieri debuit. Ex quibus circumstantiis Iudaei ipsi argumento sumpto temporibus Adriani Imperatoris concludebant firmiter, Messiam iuxta Prophetarum oracula aut venisse, aut certe iam tum proforibus esse. Et cum praefractam cordis sui duritiem frangere non possent, ut nostrum Messiam Iesum Nazarenum admitterent, atque nihilominus temporis ratio de aduentu Messiae eos palam edoceret: alium sibi delegerunt pro libitu Messiam, Cochab nomine, cuius nomen in Hebraico sermone stellam sonans cum pulchre videretur congruere ad vaticinium, Num. 24. Orietur (Cochab) stella ex Iacob, & percutiet principes Moab: dici non potest, quam sibi de hoc Cochabo suo fuerint gratulati magnifice, quam volitarent hilares, quam certam sibi e seruitute Romana liberationem sint polliciti, adeo ut ante commissum cum Caesarianis militibus praelium, victoriam non ut accipitem sub euentu dubio sperare, sed velut certissimam totis animis deuorasse viderentur: donec tandem re ipsa; nimirum turpi  
 minimeque

*minimeq; expectato interitu huius pseudo Messiae, uasania illorum confutata est. Quamuis ne sic quidem illorum furor emendari potuit, quin in deterius indies proficientes, ex eo tempore conscientiae suae maluit vim inferre, violentissime peruertendo Scripturas, et nunc hanc, nunc illam fraudem excogitando, modo has modo illas queritando latebras, saltem ne cogantur nostro Messiae dare gloriam. Fatentur interim, Iesum nostrum fecisse prodigia, suscitasse etiam mortuos; sed virtute, ut aiunt, Schemhamphoras. Qua de re dictum supra. Nobis interim satis est, acerrimos istos & iuratos Christi hostes tantum dare testimonij rebus gestis illius, quantum vix unquam ab ullo hoste sperari poterat; satis etiam nobis est, quod horribili cauterio notata & conuicta est plerorumq; ex isto misero populo conscientia, eo tempore venire debuisse Messiam, quo nostrum Messiam in carnem venisse constat. Quemadmodum & Philo Iudaeus, scriptor apprimè nobilis & antiquus annotat, Herodis tempore famam de nato Messia in mundo percrebuisse, qua motus ille Tyrannus, inter alios infantes suum quoq; filium ex Hebraea natum occidi fecerit, ne dominium ad Hebraeos denuò transfiret. Ac notum est memorabile testimonium Flauij Iosephi, qui licet religionem Christianam amplexus non sit, sed profes-*



professione Iudaeus manserit: tamen cum in conscribenda historia sua veritatem rerum gestarum sibi, ceu scopum, propositam haberet; neque hac in re illi deesse cupiens, testatur expresse: Iesum Christum & sapientiam & miraculis stupendis celebrem, & doctorem fuisse studiosorum veritatis, cum ex Iudaeis, tum ex Gentibus. Et hunc Iesum fuisse Christum, qui ad accusationem procerum populi Iudaici à Pilato morti crucis adiudicatus fuerit: nec tamē discipulos eius ab illo defecisse, quando quidem illis tertia die iuxta Prophetarum vaticinia (qui hoc ipsum, quemadmodum & alia multa miranda de eo praedixerint) redituum se ostenderit. Iohannis Baptista quoque praecursoris Christi meminit idem ille Iosephus, sanctum virum eum nominans, qui Iudaeos ad Dei timorem & iustitiam exhortatus, Baptismi sacrum inter eos sit orsus. Tradit etiam, in quanta fuerit auctoritate & admiratione sanctus ille vir apud omnem populum, adeo ut Herodes quandam gentis Iudaicae ad Iohannem defectionem metueret; sed & decollationis eius non obscuram mentionem ibidem exprimit. Quae testimonia à Christiana fidei hostibus Iudaeis profecta, negligenda haud quaquam sunt; siquidem constat, neminem sane mentis esse tam prodigiose stupidum, qui aliquid in propria sua causa praedudicium testetur, non rogatus

rogatus praesertim, nisi tanta sit rei claritas, ut  
 eam inficiandi nullus usquam sit relictus locus.  
 Denique, verò Iudaei Messiae nostro, & proinde et-  
 iam doctrinae ab ipso traditae, testimonium longè  
 clarissimum, nolint velint, dare coguntur, suo tot  
 seculorum constanti & ineluctabili exilio, disper-  
 sione misera & sempiterna, priuatione perpetua  
 omnium praesidiorum & ornamentorum, quibus  
 olim in omnium terrarum & nationum oculis  
 claruerunt. Vnde enim illud immensum mare, hic  
 vastissimus malorum omnium Oceanus in gen-  
 tem Iudaicam exundavit, quòd eodem illo seculo  
 nati & crucifixi Christi, sceptrum Iudaicum in  
 pulverem deiectum est, libertas penitus erepta,  
 eversa politia seu Respublica, vastatum & in so-  
 litudinem redactum regnum, olim florentissi-  
 mum, deleta urbs, inflammatum illud orbis ter-  
 rarum miraculum, templum augustissimum, co-  
 pia Iudaeorum & legiones penè ad internecionem  
 concise & contrucidatae, earum verò reliquiae ca-  
 lamitose atque miserae partim in tristissimam ser-  
 vitutem vili contemptibiliq; precio diuenditae,  
 partim verò in perpetuum exilium relegatae &  
 ad omnes orbis angulos, adeòq; ad caelorum ven-  
 tos atque cardines, ut Scriptura loquitur, horri-  
 bili & ad omnium aetatum posteros depradando  
 Dei iudicio disiectae & dissipatae. Ut interim de  
 Spiritu

Spiritualibus illorum malis aut dicam nihil, aut  
 modicè ; nempe quòd eorum oculus tristissimæ  
 caliginis offusa sempiterna nox est ; quòd in-  
 crassata aures ; quòd aggranatum cor ; quòd è re-  
 cto statu sanitatis emotæ & deiectæ mens est ;  
 quòd Spiritu soporis & vertiginis acti abreptiq;  
 stertunt, ut lethargici ; nutant & vacillant, ut  
 ebrij ; insaniunt, ut mente capti ; palpitant in  
 meridie, ut cæci ; quòd item mensa illorum in  
 laqueum ; electus angularis lapis in offendicu-  
 lum ; sempiternæ salutis rupes in petram scan-  
 dali ; omniumque Prophetarum visio non mo-  
 dò in librum clausum, sed, ut Micheas predi-  
 xit, in noctis tenebras conuersa est. Hæc tot, ac  
 tanta, tam tristia, tam stupenda, tam infi-  
 nita, tamque perpetua mala, ex qua tandem  
 omnium miseriarum scaturigine seu pelago  
 potius repente ad eò eruperunt, quàm ex illo  
 funestissimo contemptu, quo diuinitus mis-  
 sum Christum eiusque doctrinam repudiã-  
 runt, & scelere post homines natos omnium  
 immanissimo horribilissimoque ipsum gloriæ  
 Dominum in crucem agere, suasque manus  
 sanctissimo unigeniti Filij Dei sanguine com-  
 maculare non sunt veriti ; dictantes & pro-  
 nunciantes ipsi sibi hanc fatalem & horren-  
 dam sententiam ; Veniat sanguis eius super nos  
 & super

*& super filios nostros. Quod in illis iusto Dei iudicio sic ad amissim euenisse, si insidari volent homines, clamabunt & testabuntur lapides.*

*A Iudæis nunc descendimus ad gentiles, qui à foribus atq; limine Ecclesiæ absunt omnium longissimè. Hi etsi ante solennem prædicationem Euangelij verâ Dei notitiâ fuerant, maiorum culpâ, orbat: tamen & rerû & cultuum Israëliticorum partes maximè insignes eis iam inde ab ultimis seculis fuere notæ. Neq; enim Deus Ecclesiam suam in aliquem obscurum orbis angulum abditam; sed in sublimi collocatam voluit, ut, qui vellent etiam ex gentibus, ad eam fidei professione sese aggerarent, reliquæ verò gentes ignorantia suæ, sed affectatæ, iustas pœnas luerent. Ut igitur aperte pateat, rerum ab exordio mundi in Ecclesia gestarum memoriam inter Ethnicos quoq; scriptis & vocibus agitatam fuisse; placet id productis gentilium testimonijs expeditum reddere.*

*Et ut à primis rerum omnium initijs telam narrationis ordiar: certè de historia creationis mundi, quam Moses primo capite Genesios descripsit, audiuisse aliquid gentiles, patet primò hinc, quia pleriq; sententiam Aristotelis de mundi æternitate repudiârunt, amplexi eam, quæ est Scripturæ sacre magis consona, videlicet mundum*

dum hunc aspectabilem à Deo optimo maximo esse fabrefactum. Quod non tam ex luminerationis, quàm ex continua illa traditione Maiorum hauserant. Deinde verò creationis descriptio Ouidiana, quæ lib. I. Metamorph. extat, sic comparata est, ut attentus Lector facile queat animanduertere ex, Mosaica historia quædam esse desumpta, undecunq; tandem Poëta profanus istarum rerum Mosaicarum notitiam sibi compararit. Etenim quòd Moses scribit, initio conditam esse à Deo molem aquarum, eamq; adhuc informem nebulis & tenebris inuolutam, ubi terra nondum fuerit ab aquis separata, & caligo illam aqueæ materiei abyssum contexerit: id hunc in modum expressit Ouidius:

Ante mare, & terras, & quod tegit omnia, cœlum,  
 Unus erat toto naturæ vultus in orbe,  
 Quem dixere Chaos; rudis indigestaq; moles,  
 Nec quicquam, nisi pondus iners cōgestaq; eodē,  
 Non benè iunctarum discordia semina rerum,  
 Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan.

Et mox.

Quaque erat & tellus, illic & Pontus, & aër  
 Sic erat instabilis tellus, innabilis vnda,  
 Lucis egens aër: nulli sua forma manebat.

Rursum, quæ Moses refert de producto ex  
 aquea mole & in altum subuecto firmamento; de

G terra

*terra item ab aquis separata: ea his versiculis complexus videtur Ovidius:*

Hanc Deus & melior litem Natura diremit.  
Nam cœlo terras, & terris abscidit vndas,  
Et liquidum spisso secrevit ab aëre cœlum.

*Ordo quoque creationis penè servatur idem apud Ovidiũ, qui in Pentateucho Biblico. Ut enim Moses primò rudis & caliginosa molis meminit, deinde creatæ lucis primigeniæ, tum cœli è massa primitus creatæ producti, & terræ ab aquis segregatæ, conditorem syderum, ac tum demùm piscium, animalium atq; volucrũ; ultimò omnium autem hominis ad Dei imaginẽ effigiati: sic inspecta diligenter Ovidiana descriptio penè eundem ordinẽ tenuisse deprehenditur. Posteaquàm enim informem ac luce carentem molem descripsit, & cœli à terris, terræ rursus ab aquis discretionem expressit, mox syderum, dehinc piscium, avium, cæterorumq; animalium creationem his nobis refert versibus:*

Vix ita limitibus discreuerat omnia certis,  
Cùm, quæ pressa diu massa latuère sub ipsa,  
Sydera cœperunt toto fulgescere cœlo:  
Neu regio foret vlla suis animalibus orba,  
Astra tenent cœleste solum, formæq; Deorum:  
Cesserunt nitidis habitandæ piscibus vnda,  
Terra feras cœpit, volucres agitabilis aër.

*Denique ut apud Mosen Deus ultimo loco*  
creat

creat hominem, cui dominium ceterorum animantium committat; & corpus quidem ex recente terra condit, mentem verò ad suam imaginem efformat. sic uniuersa hæc imitatus Ouidius, in hunc canit modum:

Sanctius his animal, mentisq; capacius altæ  
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset,

Natus homo est: siue hunc diuino semine fecit  
Ille opifex rerum, mundi melioris origo:

Siue recens tellus seductaq; nuper ab alto

Æthere cognati retinebat semina cœli:

Quam satus Iapeto mistam fluuialibus undis

Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorū.

*Hæ tot circumstantiæ ad Prophetica[m] recitationem Mosis tam pulchrè congruentes, faciunt, ut nihil dubitem, Ouidium ista ex historia sacrorum Bibliorum esse mutuatum: siue ipse in Mose legerit, cuius scripta in Græcam linguam pridem fuerant translata, siue ex aliorum relatione ea cognouerit.*

Porro fuit & longæuitas Patrū originalis seculi gentilium literis celebrata. Flavius Iosephus rerum & Antiquitatum Iudaicarum accuratissim<sup>us</sup> annotator, allegat Scriptores Ethnicos, Manethonem Egyptium, Berosum Chaldaem, Ieronimum Egyptium, Hastieum, Hesiodum, Hecateum, Hellonicū, Acusileum, Ephorum, & Nicolaum;

G 2 colaum;



colaum; unanimi consensu testificantes, quòd primæui mundi Patres vitæ suæ cursum in multa prorogârunt secula. Quodcum quinto & undecimo capitibus Genesios Mosaicæ quàm aptissimè concordat. Quanquam autem nonnulli ex his modò dictis historicis pridem interciderint, siue iniuriâ temporum, siue incuriâ hominum: Iosephi tamen ætate adhuc extitisse illos, neutiquam dubitare possumus, cum hæc de suo arbitratu comminisci nullo pacto quiverit, quin à Iudaicæ nationis hostibus vanitatis non accusari modò, sed etiam conuinci perspicuè potuisset, si in contestanda publica historia eos allegâisset testes, qui aut extitissent nunquam, aut talia nunquam vspiam prodidissent.

Sed & Noæ Patrtarchæ nomen apud gentili-um posteritatem ab ipso descendente vehementer inclaruit. Hunc vini dicunt cultorem primum, quòd (Mose etiam attestante) post diluuium vinea plantauit & coluit.

Iam verò Iaphet, filius Noæ, Scriptoribus exteris ignotus esse non potuit, quòd ab hoc pleræq; gentes, post diluuium, ortæ procreatæq; sint: adeo ut Ouidius illum Iouis quoq; patrem facere neutiquã vereatur in versiculis paulò prius allegatis:  
 Quam satus Iapeto mistam fluuijalibus undis,  
 Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

Alter





*Alter filius Cham, siue Ham, Beroso Chal-  
 deo scriptori apprimè fuit notus. Qui refert, ma-  
 ledictionē, quam Noah posteritati Cham fuerit  
 imprecatus, non tam hæsisse in posteris, quàm  
 Chamum ipsum attigisse. Et quod Herodotus lib.  
 2. asserit, Oracula in mundo antiquissima  
 esse Iouis Hammonis in Lybia, & Iouis Do-  
 donæi in Græcia, quæ ambo à duabus co-  
 lumbis ex Ægypto prouolantibus com-  
 monstrata sint: circumstantia & nominum  
 & rerum arguunt, ex diluuij historia Biblica hæc  
 promanasse, à posteris autem esse corrupta & de-  
 prauata. Quandoquidem & Moses columbarum,  
 quæ ex Arca prouolârunt, meminit: Et nomen  
 Hammonis ab Ham filio Noæ ortum apparet, qui  
 occupauit regionem Ægypti, Mizraim ab Ha-  
 mi filio, eiusdem nominis, appellatam. Dodonæ et-  
 iam nomen congruit, cum Dodanim, filio Iauan,  
 qui sedem familiæ suæ in ea ora, quam Herodo-  
 tus exprimit, collocasse putatur.*

*Quanquam autem à Cham & Iaphet origi-  
 nem ducunt ij populi, qui paulatim à vero Dei cul-  
 tu ad idolatriam descuerunt: tamen certum est,  
 neq; hos illorum posteros, neq; illos horum maio-  
 res atq; patres subito ab uniuersa religione patris  
 sui Noæ recessisse; sed auitæ religionis partes quas-  
 dam ad posteritatem suam velut ad manum de-*

manu transmisisse; atq; sic ista quoq; ratione inter populos gentiles vestigia quaedam antiquae fidei remansisse.

Exemplum eius rei vetus & illustre nobis exhibet ille sacrificandi ritus, quem omnium gentium usu consuetudineq; receptum fuisse constat. Cuius originem primam ad humanae rationis arbitrium referre perquam absurdum foret: quod cum ratione hominis componi nequeat, quam obrem Deus (qui nec sanguinem haurit brutorum animalium, nec illorum carnibus aut vescitur aut pascitur) eorundem nihilominus oblatione colendus sit. Non haec vel ingenij humani commenta sunt, vel voluntatis inuenta & instituta; sed divinae ordinationis in Patrum observata familiaris quaedam non omnino obscura reliquia. A Patribus enim deducta sacrificandi consuetudo inolevit apud posteros, qui vero sine sacrificiorum, propter quem ordinata sunt, non animadvertendo, externam dumtaxat ceremoniam, eamq; salutaris usu plane vacuum retinuerunt. Apud nonnullas insequentium aetatum gentes ritus istos sacrificiorum ex Israëlitici populi seu conversatione, seu vicinitate inualuisse dubium nullum est.

Iam porrò diluuij à Mose descripti in gentiliū monumentis & frequens & diserta fit mentio. Attingūt historiam eius Berosus, Ieronym<sup>us</sup> Aegyptius

ptius Phœnicum Historicus, Mnaseas item, & Nicolaus Damascenus: quorum verba è proprijs eorum scriptis repetit Iosephus libro 1. Antiquitatum Iud. capite 4. Berossus etiam à diluuiio orbis numerationem annorum ducit, quando confusionem linguarum anno salutis ex aquis centesimo trigesimo primo factâ scribit. Sed & Ouidius Metamorphos. lib. 1. diluuij narrationem quandam habet, & ut prima quidem fronte pollicetur Author, eius potissimum, quod regnante in Graecia Deucalione Thessaliam latè longeq; vastauerat. Id verò cum diluuiio Noë, quod Moses explicat, planè miscet & confundit, ut circumstantia quàm plurimæ cum Moisaica narratione consentientes oppidò declarant. Cuiusmodi sunt, quæ de causis eam inundationem antegressis memorat, de inualescentibus in mundo sceleribus, de impietate, de iniustitia, de auaritia, de tyrannide, maximeq; de Gigantum violentia, quibus peccatis ad indignationem accensus Deus vniuersum propè hominum genus aquarum eluuiione delendum esse iudicârit. Quæ ut ad descriptionem Propheticam Mosi elegantè consensione quadrant, sic euidenter arguunt, Ouidium à particulari diluuiio Thessaliae ad vniuersalem orbis inundationē exponendam transire. Quamuis enim Deucalionem nominat: tamen

(præter hunc atque huius uxorem) totum genus humanum aquis interyisse dicit: quod non in particulari Græcia, sed in altero illo, quod Noë temporibus euenit, totali diluuiio extinctum esse constat. Miscet igitur ut historias diuersas, sic & personarum nomina. Siquidem quæ recenset de Deucalione, quòd illo non alius fuerit aut melior, aut equitatis amantior, quòd hunc unâ cum uxore seruatum refert, idq; in naui, quæ diu ac multum vi impetuq; fluctuum iactata monti celsissimo tandem adhaeserit; habent & hæc suam non inconcinnam συμφωνίαν cum his, quæ de Noah, viro omnium eius æui hominum iustissimo & sanctissimo, tradit Moses, cum paucis suis in Arca conseruato, quæ per annuum spaciū aquarum agitata fluctibus, in Armenia montanis tandem requieuerit.

Memoratu verò dignissimum est, quòd omnino quorundam indicio relatione uel aliquid cognouisse videtur Ouidius, de illo Domini decreto, quò non aquis porro, sed igni aliquando mundum vastandum sanxit. Inter alia enim, quæ ibi literis prodit, leguntur & hæc:

Iamq; erat in totas sparsurus fulmina terras,  
 Sed timuit, ne fortè sacer tot ab ignibus æther  
 Conciperet flammæ, totusq; ardesceret axis.  
 Esse quoq; in fatis reminiscitur, affore tempus,  
 Quo

Quo mare, quo tellus, correptaq; regia caeli  
Ardeat, & caeli moles operosa laboret.

*Iam si Orphei, Poëta Ethnici, versiculum examinemus, quē & à Platone in Philebo, & à Plutarcho allegatum constat, videlicet: ἐκ τῆς γενεῆς ἑξῆς καὶ ἀπαύσει ἁ ἁδὴς; hoc est, sexta generatione, seu millenario, mundus desinet: quis non videat, ex sanctorum Patrum traditionibus illum esse desumptum? Fuit enim in veteribus illis gentilibus sanioribus tantum discendi cognoscendiq; studium, ut ad ampliorem cognitionem rerum percipiendam penè orbem peragrare minime detrectarent. Quod de Solone, Pythagora, Platone, & alijs testantur Iustinus in exhortatione ad gentiles, & Clemens Alexandrinus Stromatum lib. 1. & alij.*

*Turris etiam Babel edificari cæpta, & linguarum confusionis ibidem factæ, memoriam inter paganos non omninò intercidisse, ex Beroso liquet: qui libro quarto tradit; Nimrodum filio Ioue Belo assumpto venisse cum suæ factionis hominibus in campum Sinear<sup>i</sup>, ibique designâsse urbem, & insolitæ magnitudinis turrim fundâsse, anno nimirum salutis ex aquis centesimo trigesimo primo, deduxisseq; turrim ad altitudinem magnitudinemque montium, in signum ac monu-*

G 5                      mentum

mentum, quòd primus in orbe terrarum sit  
 populus Babylonicus, & regnum regno-  
 rum dici debeat. *Et addit post pauca Berosus:*  
 Et turrim quidem ædificauit, sed non com-  
 pleuit, nec designatam urbem fundauit,  
 quia post quinquaginta sex annos subitò  
 non comparuit, translatus à Dijs. *Vbi simul*  
*aliqua de linguarum confusione attexit, quæ iti-*  
*dem non iniucundam habent cum historia Bi-*  
*blica congruentiam. Quemadmodum & illud,*  
*quod annotante Iosepho lib. 1. Antiq. Iud. cap. 4.*  
*Sybilla quædam de hac ipsa turri Babel & lin-*  
*guarum diuisione scriptum reliquit, inquiens:*  
 Cùm mundus adhuc vnã usurparet lin-  
 guam, coeperunt quidam ædificare tur-  
 rim apprimè celsam. Verùm Dij concita-  
 tis procellis ac turbinibus, turrim deiece-  
 runt, & singulis singulas attribuerunt lin-  
 guas. Vnde ei ciuitati adhuc manet nomen  
 Babylonis. *Sic ergò & hæc generis humani pæ-*  
*na, non minùs atq; prior illa diluuij, ab exteris et-*  
*iam historiarum Scriptoribus recitata legitur.*

*Neque verò de conflagrata Sodomitica re-*  
*gionis fatali excidio prorsus muta fuit Ethnica*  
*vetustas: Siquidem ipse Deus extare voluit in au-*  
*diti supplicij vestigia, non pressa leuiter ad exigui*  
*horrorem temporis, sed fixa firmiter ad tantæ rei*  
*memoriam*

memoriam sempiternam. Nomen ipsum, quo locum, incendio vastatum desuper, Asphaltitem appellant profani Scriptores, perspicue suffragatur Mosis historia. Ideo enim sic nominata est ea regio, quod praeter bitumen, & fructus putidos cineribusque plenos, poena ibidem declaratae manifestas notas retinentes, nihil ibi proueniat, cuius rei Plinius libro 5. cap. 15. & 16. meminit. Iustinus lib. 36. refert; lacum illum propter magnitudinem & aquae immobilitatem, mortuum mare dici. Nam, inquit, neque ventis mouetur, resistente turbinibus bitumine, quo aqua omnis stagnatur: neque navigationis patiens est, quoniam omnia vita carentia in profundum merguntur: nec materiam ullam sustinet, nisi quae alumine illiatur.

Transco nunc in historia Mosis ad sanctissimum Patriarcham Abrahamum. Qui quam fuerit apud gentilem populum clarus, ostendit octauum cap. lib. 1. Antiquitatum Iudaicarum, quas Iosephus contexit. Ibi namque citat Berosum, de Abrahamo differentem: citat Hecatæum historicum, quem huius Patriarchae res gestas peculiari libro complexum refert: citat denique Nicolai Damasceni librum quartum, ubi itidem de Abrahami rebus pertractari docet. Sed & Iustinus, qui variarum gentium

historias

historias à Trogo Pompeio descriptas in compendium redegit, Abrahami nominatim meminit. Quem, quòd virtute & opibus suo tempore potuisset plurimum, Regem fuisse dicit: titulo regio quidem nonnihil ab historia sacra deflectens, re verò ipsa haud ita multum (quales quidem tunc dicebantur Reges) eò quòd è seruitio suo iustum quiuerit instruere exercitum, & quatuor Reges gentium, qui Lotum Sodomis abduxerant, praelio superatos spoliatosq; in fugam conijcere.

Nec verò res domestica illius ab Ethnicorum luce notitiaq; sese occultare poterant. Nam secundum coniugium, quod cum Cethura inijt, & liberos, quos inde suscepit, Alexander Polyhistor suæ historiae literis mandauit, testante ac citante Iosepho libro primo Antiquitatum cap. 16. Quin tanta fuit eximij istius Patriarchæ inter gentiles celebritas, ut fama eius ad orbis Monarchas, Imperatores Romanos pertingeret, adeò ut Aelius Lampridius Alexandrum Seuerum Casarem inter Diuos reliquos, quorum simulacra in larario suo habuit, Abrahamum quoq; veneratum asseneret.

Circumcisio porrò, mandata Abrahamo & posteris, gentilibus non modò fuit nota, sed quibusdam insuper vsitata & recepta, ijs præsertim, qui Palestina seu Iudæa finitimi erant. Herodo-



tus lib. 2. aliquoties de ea differit, eamq; in Aethiopia, Aegypto, Phœnicia, apud Colchos, & Syros in Palestina (Iudeos notans) in usu fuisse scribit. Disputat etiam, qui populi à quibus illam sint mutuati; id quod ob nimiam vetustatem colligi haud posse concludit, esse enim, inquit, Circumcisionis ritum per antiquum.

Strabo 16. libro, de Aegyptiorum Circumcisione tractans, sic inquit: Hoc peculiare apud eos est, omnes filios educare & circumcideri, quod Iudæi ex lege habent, qui ab antiquo sunt Aegyptij. Et annotat Diodorus Siculus, ijs gentibus, quæ ab Aegyptijs descendant, ob hoc ipsum in usu esse Circumcisionem, quòd suum ex Aegyptijs ortum habeant. Idem senserunt Herodotus & Strabo; Iudeos nimirum ab Aegyptijs sacrum Circumcisionis mutuatos. Cuius opinionis causa erat, quòd Hebræorū gentem olim in Aegypto commorata, atq; isthinc per Mosem educatam, ex orbis fama resciverant. Variant quidem, & non nihil recedunt à veritate historiae sacrae profani illi Scriptores in aliquibus circumstantijs: Interim ad institutum nostrum non parum faciunt hæc illorum testimonia, quòd inde manifestè perspiciatur, eam fuisse sacrorum religionisq; Israëliticae in mundo celebritatem, ut literis sermonibusq; exterarum etiam gentium expressa

110 DE MAIEST. ET CERTIT.

expressa reperiatur. Nam præter Autores modo dictos meminit Poëta Iuuenalis quoque Circumcisionis Hebræi populi; & licet contemptu meminerit: meminit tamen. Sed & Cornelius Tacitus lib. 21. scribit, Iudæos genitalia circumcidere, ut diuersitate noscantur.

Ceterum ut in principali nostro instituto progrediamur: ad id ipsum non parum lucis ac momenti affert Iobis patientissimi sanctissimiq; viri historia, quam verè sic gestam & proinde authenticam esse, Dominus ipse apud Ezechielem Prophetam clara voce confirmat. Et incidisse hanc historiam in tempora Iacobi Patriarchæ, Philo Iudæus testis est.

Iob igitur etsi non esset ex posteris Abrahami, sed conditione originis ex gentibus: Deum verum tamen & agnouit & sincerè coluit, & quia præcipua inter sui æui Orientales autoritate fulgebat, hanc operam sibi dandam censuit, ut ista fax atque lux agnitionis Dei suos in vicina quoque loca radios emitteret. Certè amici eius, Eliphaz, Bildad, Zophar, & Elibu, etsi in disputatione de cruce & calamitatibus piorum non nihil à scopo veritatis aberrant: tamen toto eo colloquio se unius veri & omnipotentis Dei cultores unice profitentur, & sententias loquuntur eas, qua extra verbi diuini patefactionem

*Etionem in nullius Ethnici hominis pectus descendere potuissent.*

*Iam Patriarcham Iacobum quod attinet, innotuit is gentibus ipso nomine suo, quod paternæ benignitatis atq; solatij plenum à Dei Filio accepit, ut Israël diceretur. Hinc Trogus Pompeius, C. Iulij Caesaris Cancellarius; hinc istius abbreviator Iustinus historiarũ lib. 36. aperte docent, Israëlem ex proventu felici filiorum maioribus suis redditum esse clariorem. Populum quoque Iudaicum à Iuda filio Israëlis sic denominatum expresse memorat.*

*Iosephus porro sancti patris Iacobi sanctus filius, his ipsis gentilibus scriptoribus, Iustino & Trogo Pompeio, dignus visus est, cuius virtutes ac res præclare gestas non tam historica narratione referrent, quàm assignatis laudum encomijs, suisq; honestissimis de eo interpositis iudicijs, egregie condecorarent. Ita verò scribit ex Trogo Iustinus, eodem libro 36. Minimus inter fratres ætate Ioseph fuit; cuius excellens ingenium veriti fratres, clam interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus deportatus in Aegyptum, cum magicas ibi artes solerti ingenio percepisset, breui ipsi Regi percharus fuit. Nam & prodigiorum sagacissimus erat, & somnio-*

*rum*

rū primus intelligentiam condidit; nihilq; diuini iuris humanique ei incognitum videbatur; adeò vt etiam statim sterilitatem agrorum ante multos annos prouiderit; periissetque omnis Aegyptus fame, nisi monitu eius, Rex edicto seruari per multos annos fruges iussisset; tantaq; experimenta eius fuerunt, vt non ab hominibus, sed à Deo responsa dari viderentur. *Hac Iustinus ex Pompeio Trogo; quæ in omnibus ferè circumstantijs incundissimam habent cum Mosaica scriptione congruentiam.*

*Porro in Aegypto commoratos olim Israëlitas, atque isthinc per Mosē esse liberatos & eductos: fuit omnium temporum sermonibus in mundo tritum & peruulgatum: cumq; prius Iosephi ministerio accensa quedam fax esset notitiæ Dei inter Aegyptios, quando is, vt in Psalmo legitur, seniores Aegypti prudentiam docuit, vt semetipsum: iam lumen illud multò splendidius effulgere cæpit, postquam Patriarchæ Iacobi familia in Aegyptum descendit, ibiq; aliquot seculis commorata est. Ex ea namq; conuersatione non pauci inter Aegyptios ad religiosam fidem Dei veri sunt conuersi: quod Profelytorum exemplo patuit, qui cum essent ortu Aegyptij, nihilominus in egressu Israëlitarum ex Aegypto, se, post-*  
*habitis*

habitis omnibus in patria terra commodis & ornamentis, aggregarunt populo Dei: quos etiam Dominus Israëlitis quàm fidelissimè commendatos voluit, idq; ut fieret, lege sanxit. Stupendis namq; miraculis Prophetæ Mosis, & plagis immisissis regi atq; regno se permoueri passi sunt, ut Deo Hebræorum nomen darent, eiusq; sacra palam approbare inciperent.

Quæ miracula ministerio quidè Mosis, virtute vero Dei designata, eius erant conditionis & planè diuinæ claritatis, ut ne quidem longissimè disitorum populorum famam prædicationemq; effugerent. Quæ ratione completum est verbum Domini, quod Pharaoni per Mosén dixerat: In hoc te constitui, ut ostendam in te potentiam meam, & annuncietur nomen meum in uniuersa terra. Nam tot tantq; pœnæ Egyptijs illatæ, tam gloriosa Israëlitaru eductio, tam admiranda maris rubri diuisio, tam horrendum regis impij exitium, tam inexpectata totius exercitus regij πανολεθεια & in mari suffocatio, reddidère gloriam potentiamq; Dei Hebræorum coram auribus reliquarum gentium mirum in modum celebrem & contestatam. Non dissimulat hoc Iethro, sacerdos Midianiticus, Mosis socer, qui licèt gentili populo natus, signis tamen factisq; Dei præpotentibus excitatus, in desertum venit

H

ad

ad generum suum, & cum illi, tum populo de claris victorijs gratulatur solenniter, Deoq; pia vota laudis & gratiarum actionis soluit. Fatetur id ipsum Cananea mulier Rahab, quae populares suos, Cananeos Reges atq; Gentes, fama signorum ac bellorum Domini sic muliebriter expauisse, sic totos trepidare confirmat, ut formido ea non solum omnes spes prostrauerit, verum etiam penè Spiritum, quem ducant, eis intercluserit. Testantur ex gentilitia vetustate Scriptores ij etiam, qui multis seculis demùm post Mosè exorti sunt. Vnde colligere cuius expeditum est, quàm fuerit constans inter Ethnicos fama de rebus gestis Mosi; siquidem memoriam earum nulla temporis diuturnitas obliterare, nulla vetustas abolere valuit. Ut silentio præteream authores à Iosepho contra Appionis calumnias allegatos: certè Luculentam, et si variam, Mosi mentionem suis libris immiscent Trogus & Iustinus, & Lysimachus, & Strabo, & Diodorus Siculus, & Cornelius Tacitus, & Poëta Iuuenalis, & alij Authores plurimi.

Nec causa nostræ quicquam officit, quòd Mosè Magum fuisse ex odio gentis sunt calumniati. Hoc ipso namq; titulo testimonium ei vel inuiti perhibent miraculorum, quibus fuit clarus & inclytus. Hinc enim illa Magia orta apud infidèles

deles populos suspicio: qua tamen eum solidissimis demonstrationibus paulò suprà liberauimus. Sed neq; hoc inficior, haud rarò illos in texenda rerum Mosaicarum historia errare luculenter, & nugari magnificè. Interim hoc ex illorum narratis elicitur, quòd res ipsa generatim eis cognita, historiaq; educationis Israëlita penè omnium nationum vocibus decantata fuerit. Neque dubium est, quin se admiscuerit profanorum Historicorum scriptioni Satanas, hoc enixè studens, ut narrationem veram fabulosis additamentis obscuraret. Sed & hinc bona ex parte irrepserunt ille fabule, quòd aliorum narrationibus fuerant persuasi, hæc, quæ ipsi rebus gestis Mosis assuunt, ita se habere. Videmus enim, si quid vel ante paucos dies euenit, ( nedum ante tot secula, quot inter Mosis ætatem & hos Scriptores interuenerunt ) id haud perinde vno eodémque modo ab ipsis propè spectatoribus recenseri: partim ob memoriæ humanæ imbecillitatem, partim ob vanitatem ingenuorum, quæ libenter aliquid admentiri solent, & aliorum dicta & facta minùs fida relatione deprauare.

Nec hac in parte sibi defuerunt Egyptij, qui ut maculam turpissimam cladis suæ gentis susceptam delerent, longè aliter rem

H a atque

atq; gesta est, cum ad suos homines, tum ad populos exteros retulerunt. Ex his ipsis autem, quæ corruptè narrant gentiles, si ad historiam Biblicam, ut Canonem veritatis, exigantur; difficile non est de ipsa re statuere.

Et ut accuratius singula excutiantur: constabat ex precedentium seculorum & ætatum rumoribus & descriptionibus, Trogo & Iustino de hac etiam circumstantia, quantumvis minuta, quòd (ut Exodi secundo cap. narratur) Moses elegantiforma fuerit præditus. Ita enim illi: Filius eius (Iosephi) Moses fuit, quem etiam, præter paternæ scientiæ hæreditatem, formæ pulchritudo commendabat. Errant, dum Iosephi filium extitisse Mosem putant. Vera & Scripturæ consentanea dicunt, cum tribuunt ei sapientiam scientiæ Iosephi parem, & cum formæ pulchritudine illum excelluisse tradunt. Deinde quando addunt: Sed cum scabiem Ægyptij & pruriginem paterentur, responso moniti, eum cum agris, ne pestis ad plures serperet, terminis Ægypti expellunt. Cum item Cornelius Tacitus, & alij de eadem tabe, prurigine atq; scabie in Ægypto oborta scriptitant, quæ eiectioni Isræliticæ gētis causam dederit: fabulosè sanè hæc illi, haud dubiè, quemadmodum Ægyptij ista solebant pingere. Et tamen



non obscure colligitur hinc; de ulceribus Ægypti  
 seuq; peste uniuersum regnum peruagata, ea ve-  
 rò in primis, quæ primogenita conficiebat &  
 egressui Israëliitarum ansam dabat, aliquid scri-  
 ptores illos cognouisse. Quando porrò subiungit  
 in sua narratione Iustinus, Mosē ducem exu-  
 lum factum, in eo egressu sacra Ægyptiorum  
 abstulisse furtim, quæ armis repetere Ægy-  
 ptij sint conati: dissident hæc à veritate Bibli-  
 ca in eo quidem, quòd neq; sacra abstulit Mosēs,  
 neq; hac de causa insecuti Israëlitæ sunt Ægy-  
 ptij. Elucet autem hinc nihilominus, de vasis au-  
 reis & argenteis mutuò acceptis, & Deo sic iu-  
 bente ablati, audiuisse Iustinum, vel Pompeium  
 Trogum potius, qui antiquior fuit, ex quo etiam  
 hæc ille descripsit. Quodq; pergit Iustinus, Ægy-  
 ptios, cùm insequerentur Iudæos, tempestate ef-  
 se compulsos, vt re infecta redirent domum:  
 cernitur & hîc fabulosis commentis inuoluta rei  
 veritas. Verissimū namq; est, Ægyptios insecu-  
 tos esse Israëlitæ. Verissimum quoq; est, conatus  
 Ægyptiorum inhibitos esse ac retardatos, imò  
 planè dissipatos: Et quidem in itinere per inter-  
 iectam inter utrumq; exercitum columnam nu-  
 bis & ignis, in mari autem rubro etiam per colla-  
 bentium aquarum tempestatem, non qua reuerti  
 cogerentur Ægyptij, sed qua in profundum acti  
 precipites,

præcipites, ita suffocarentur ad unum omnes, ut ne quidem tanta cladis relinqueretur nuncius.

Ceterum quæ de panibus haud dum fermentatis Moses prædicat, quos secum ex Ægypto asportarint Hebraei: ad ea manifestè alludit Tacitus: Raptarum frugum, inquit, argumentum retinet panis Iudaicus nullo fermento.

Iam porrò & hocæporicum Israëliitarum in deserto contexunt profani Scriptores. Profectionis in egressu, totiusq; itineris in deserto Arabia, ducem Mosen fuisse tradunt Lysimachus, Cornelius Tacitus, Trogus Pompeius & Iustinus. Verè etiam diuinisq; literis consentaneè scribit Tacitus, Mosem pro Duce cœlesti coram populo se gessisse. Cur enim hoc non faceret? cum hanc suam vocationem sublimem stupendis miraculis populo aliàs contumacissimo sic approbavit, ut eum pro indubio Propheta agnoscerent, & non aliter, atque suum pastorem oves, sequerentur? Rectè addit & hoc, nihil æquè in deserto eos afflixisse quàm aquæ penuriam: quod ex 17. capitis Exodi historia desumptum patet. Quando verò dicitur, Mosem, dum sequeretur gregem asinorum agrestium, ad rupem coniectura herbidi soli largas aquarum venas aperuisse: in his sanè sua rursum intermiscet

COMMEMOR.

commenta, sic tamen, ut rei veritas non obscuris radijs inter hasce fabularum nebulas eluceat. *Audiuit enim de rupe siue petra, audiuit de aquis è percussa rupe mirabiliter eductis. Quibusdam etiam verbis videtur respicere, confuse licet, ad columnam nubis & ignis, quæ Israëlitum castra antecedens, itineris viam præmonstrabat; nec non ad serpentem æneum in arca propiciatorij conditum & asseruatum. Ita namque pergit: Effigiem animalis (serpentem haud dubiè notat) quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrali (Arca) sacrauère. Vbi miscentur & res & rerum historia distinctæ. Columna enim nubis erat, quæ viam monstrabat: Serpens æneus erat, quem penetrali consecrauère Iudæi. Et ἀξιόλογον est, quod etiam propiciatorij Arca, in quam serpentis effigies est reposita, per illam orbis famam, nota fuit Tacito homini gentili & profano, quam penetrale ipse nominat.*

*Progredimur iam ad leges, quas Moses à Deo immediatè acceptas genti Hebræorum proposuit. Quæ circumstantia ut maximè memorabilis est, sic ea scriptores Ethnicos latere nequaquã potuit. Diodorus Siculus annumerans Mosén antiquissimis et celeberrimis in mundo legislatorib. refert,*

H 4 illum

*illum ad suam gentem affirmasse, se leges accipere ab Iao, quem Deum suum vocent Iudæi. Et merito quidem ac verè Moses leges suas Deo acceptas tulit. Neq; enim finxit ille colloquia cum Deo, (sicut Numa Pompilius nocturnos cum Dea Ægeria finxit congressus, à qua leges suas se accipere simulavit) sed verè leges suas accepit à Iehoua, (quem Diodorus inflexo nonnihil vocabulo Iaum nominat) qui Iehoua palàm ei locutus est, audiente & expauescente tota multitudine Hebræorum penè innumerabili, Exodi 19. & 20.*

*Qua de causa Trebellius quamlibet Ethnicus, in libro quo Imperatoris Claudij vitam complexus est, Mosè Dei familiarem apertè nominat. Quid, quòd mons Sina, ad quem castra metati Hebræi leges suas accipiebant, à gentilitijs historiographis exprimitur? Iustinus enim ex Trogo repetit, Mosè occupasse montem Sinam, in quo septem dierum ieiunio per deserta Arabiæ cum populo suo sit fatigatus.*

*Pentatèuchi à Mose scripti meminit Poëta Iuuenalis hoc versiculo: Tradidit arcano quæcunque volumine Moses. Leges in eo comprehensas Cornelius Tacitus esse dicit cæterorum imperiorum legibus planè contrarias, ita ut profana sint Israëlitis, quæ cæteris gentibus*

bus sacra sint illicita. *Iustinus ex historijs Pompeij Trogi, quem C. Iulij Caesaris tempore floruisse supra indicatum est, inter cetera multa, scribit & hoc de Israëlitis: Quoniam metu contagionis pulsos se ab Ægypto meminuerant, ne eadem causa inuisi apud incolas forent, cauerunt, ne cum peregrinis communicarent: quod ex causa factum, Moses paulatim in disciplinā religionemq; conuertit. Audis hic quoq; Diabolum suas intermiscere fabulas, ut veritati caliginem offundat, Deiq; populum gentibus inuisum reddat. Hac tamen circumstantia congruit, quod ad religionem Iudeorum pertinuerit, ne cum gentibus communicarent, hoc est, ne societates, ne fœdera, ne matrimonia cum eis iurent, multò verò minus in cultu cum eis commune quicquam haberent, quod non sancta lege Domini expressum foret. Id quod Israëlitis verè in disciplinam religionemq; mandauit & imposuit non tam Moses, quàm Deus ipse, Mosaicarum legum lator & promulgator summus. Memorabile autem est summoq; studio obseruandum, quòd profani scriptores cultum Mosaicum vel Israëliticum ab idolatriæ crimine ipsimet absoluunt; asserentes, Hebraeis ex institutione sui legislatoris Mosi unum tantummodo Deum conditorem cæli terræq; colere,*

H s      contra

contrà verò à πολυθεΐα Ethnica simulacrorumq̃  
 cultu omni penitùs abhorrere. Vt huiusce rei si-  
 dem lectori pio faciam, placet insignē locū Stra-  
 bonis huc referre, quē habet lib. 16. Geographico-  
 rum: Moses, inquit, vn<sup>9</sup> ex Ægyptijs sacerdo-  
 tibus cū partē quandā regionis haberet,  
 ac molestè ferret Ægyptiorū instituta: hinc  
 cō (in Iudæā) migravit. Discessēre cū eo mul-  
 ti, quibus diuina curæ erant. Docebat enim  
 ille, quomodo Ægyptij non rectè sentirent,  
 qui ferarum ac pecorum imagines Deo tri-  
 buerent, nec Græci, qui Deos hominum fi-  
 guris insignirent: Et quod id solū Deus  
 esset, quod nos contineret, terram & mare,  
 quod cœlum, mundum & rerum omnium  
 Naturam appellamus, cuius profectò ima-  
 ginem nemo sanæ mentis, nostræ similem  
 audeat effingere. Oportere igitur omni si-  
 mulacrorum effigie remota, & digno ei fa-  
 no ac templo constituto, sine forma colere.  
 Hactenus Strabo. In quibus illustre testimonium  
 perhibet doctrinæ Mosaicæ circa præcipuam in-  
 stituti cultus diuini partem, Decalogiq̃ primum  
 ac præstantissimum præceptum, ubi lege sancitur,  
 ne quenquam colant Israëlita Deum alium, præ-  
 ter hunc unum, cuius ope præsidioq̃ ex Ægyptia  
 seruitute sine liberati.

Huis

*Huic etiam vetat vllum fabricari sculptile, vllam effingi imaginem, siue eorum, quae supra in caelo, siue quae deorsum in terra, siue quae in aquis subtus sunt.*

*Straboni suffragatur & Tacitus, & uterque historia Mosaica. Verba Taciti sunt haec: Aegyptij pleraque animalia effigiesq; compositas venerantur. Iudaei mente sola vnumq; numen intelligunt, summum illud & aeternum, neque mutabile neque interitum. Itaq; nulla simulacra vrbibus suis, nedum templis sunt; non Regibus haec adulatione, non Caesaribus honor.*

*Tertium quoq; praecipuum de sabbati sanctificatione in notitiam gentilium peruenit. Iustinus ait, Mosē septimum diem more gentis Sabbathū appellatum, in omnes aeuum ieiunio sacrasse. Iuuenalis etiam Sabbathi aliquā mentionem facit. Et Cornelius Tacitus, Septimo die otium placuisse Iudeis affirmat, quia is finē laborum tulerit. Deinde blandiente inertia septimū quoq; annum ignaris (ut ipse tanquam gentilis blasphemē loquitur) datum esse. Quin potentissimo etiam Casari Augusto de Iudeorum Sabbatho palam constitisse, ex Suetonio manifestum est. Is temperantiam Augusti predicans minimūque cibi fuisse scribens,*

*has*

*hac verba ex Epistolis eius citat : Ne Iudæus quidem, mi Tiberi, tam diligenter Sabbatis ieiunium obseruat, quàm ego hodiè seruauui, qui in balneo post horam primam noctis duas buccas manducaui, priusquam vngi inciperem.*

*Et inter Ethnicos quidam alius Iudæos stoliditatis arguit, quòd bonam ætatis partem ocio transmittant, quam rebus præclare gerendis tribuere oportuerit. Rideant sanè hæc gentiles in proprium suum exitium. Nobis sufficit demonstrasse his illorum testimonijs, quòd gentiles etiam Mosis acta perspecta cognitaq; habuerint, & Mosen prædicarint, siue verè, siue per occasionem, vt loquar cum Apostolo.*

*Lubet autè hoc Trebellij adijcere, qui de Mosis obitu in vita Diui Claudij hunc in modum disserit: Doctissimi Mathematicorum centum & viginti annos homini ad viuendum datos iudicant, neque cuiquam amplius iactitant concessum esse: etiam illud addentes, Mosen solùm, Dei (vt Iudæorum libri loquuntur) familiarem, centum & viginti quinque annos vixisse, qui cum quereretur, quòd iuuenis interiret, responsum ei ab incerto ferunt nomine, neminè plus esse victurum. Hæc ille. Cernas hinc quoq; veritatè Biblicam Ethnicorum*



nicorum commentis implicitam & inuolutam. Verè hoc scribit Trebellius, in Iudæorum libris, id est, in sacro Bibliorum codice, Mosè ut Dei familiarem introduci: Locutus enim ei est Dominus ore ad os, tanquam amicus ad amicum, ut Numerorum caput duodecimum asseuerat. Annorum quoque numerus propemodum congruit, tametsi centum & viginti annis, quos ille vixit, Trebellius adhuc quing, adijcit, idque præter veritatem historiae: Quòdque fabulosè narrat, Mosè conquestum, se mori iuuenem: id sanè nugatur. Interim hæc congruit circumstantia, quòd corpore adhuc florente atque vegeto obierit, cum haud dum ipsius vel caligassent oculi, vel moti fuissent dentes, ut Deuteronomij caput ultimum testatur. Obiter etiam hoc notari velim, quòd Trebellius hæc, quæ de humana vite periodo scribit, & de Mosè subiicit, à doctissimis Mathematicorum iam antè prodita testatur, ex quibus ipse quasi transscripsit. Facit enim hoc quoque ad euincendum, quàm constans per orbem terrarum fuerit inter medios gentiles de Mosè prædicatio.

Licet autè hanc infallibilem rationè ex modo dictis subducere, & sic reputare: Si Mosè nomen tam in orbe clarum fuit apud eos historiarum aucthores, qui multis demùm seculis post sunt exorti: quantò celebrius id fuisse existimandum sit  
apud

apud eos homines, qui temporibus eius fuere propiores. Et si ij Autores, qui ex illa multitudine Scriptorū Ethnicorū, qua fuit olim, adhuc nobis reliqui sunt, tot tamq̄ clara documēta nobis subministrant, ad historiae Mosaicae inter gentes celebritatē asserendā: quot putētur proferripotuisse, si illa cunctorū gentilium historicorū, philosophorum, oratorū, poëtarū, aliorumq̄ omnis generis autorū & Scriptorum amplissima Bibliotheca orbis etiam nū extaret integra, nec innumerabilibus illis cladibus humani generis, tumultib⁹ bellicorū, disiectionibus & excidijs populorum, vastationibus regionū, exustionibus urbium, priuatarum aedium ruinis & cōflagrationibus, ipsius vetustatis itē pulueribus atq̄ situ, atq̄ adeo temporum propè infinitis iniurijs tot insignes Auctores nobis intercidissent. Et deniq̄, si in scribendo tam frequēs eius sub medio Paganismo occurrit mentio: quā putetur ipsius penē quotidiana cōmemoratio facta in loquēdo? in cōmuni sermone? in percensendis rebus exoticis? in disputationib⁹ de cultu, de legibus, de honestate vitæ, de officio, de omni virtute, præsertim inter homines doctos & literatos Philosophos, Iuris & Legum consultos, variarumq̄ disciplinarum amantes ac studiosos.

Verūm ut persequamur id, quod cœpimus; neq̄ introductio Israëlitarū in regionē Chananæam  
 & in-

*Et incolarū eius terra eiectio latuit gentiles; quod  
 ex historia Cornelij Taciti, itemq; aliorū planū est.  
 Placet verò huc referre de Chanaanais per Iosua  
 debellatis & eiectis ἀξιωματικόν εὐτοῦ illud, quod  
 lib. 4. Procopij de bello Vandalico memoratur hūc  
 in modū: Postq̄ Hebræi ex Ægypto reuerte-  
 runt, atq; in Palæstinæ finibus cōstiterunt,  
 Moses vir sapiēs, qui eos in itinere ducebat,  
 moritur. Cui Iesus Naue filius successit, qui  
 & in Palæstinā populū introduxit, ac virtu-  
 tem supra hominis naturā longè ostēdens,  
 regionē obtinuit, vnde gentes euertēs, mul-  
 tas ciuitates facilè parauit, ac omnibus in-  
 expugnabilis est visus. Tunc igitur vniuersa  
 regio maritima à Sidone vsq; in Ægypti fi-  
 nes Phœnicia est appellata, quibus vnus  
 iam dudum imperabat, vti omnes testātur,  
 qui antiq̄ Phœnicū scripsēre historiam. Hīc  
 populi numerosi habitauēre Gergesæi, Ie-  
 busæi, aliaq; habentes nomina, in Hebræis  
 voluminibus memorata: qui cū in expu-  
 gnabilē cōspicerent aduenarū exercitū, pa-  
 trios fines deserentes in Ægyptū vicinā mi-  
 grauerūt, ibiq; numero ac sobole crescētes,  
 cū nō satis commodū tantæ multitudini  
 locū inuenissent, in Aphricā penetrauēre,  
 vbi ciuitates quàm plures habitantes omnē  
 cum*

cum tractum vsque ad Herculis columnas tenuerunt: semiphœnicia lingua & dialecto vtentes. Oppidumq; Tingen situ munitissimum ædificârunt, vbi duæ ex albo lapide columnæ prope magnum fontem constitutæ, in quibus Phœnicum linguâ literæ incisæ sunt huiuscemodi: Nos sumus Chananæi, quos fugauit Iesus latro. *Hactenus Procopius.*

*Porrò terram ipsam ab Israëlitis occupatam, non dubitauit Strabo in Geographicis suis lib. 16. satis fusè describere. Et fecit idem Cornelius Tacitus, qui & flumina Iudææ recenset, & regionis Metropolim Ierosolymam esse tradit, & Templum in ea splendidissimū esse conditum denarrat. Cuius Templi M. Tullius quoq; in Oratione pro Flacco meminit. Sed & vrbs Hiericho, occasione balsami in consini sylua prouenientis, à Iustino celebratur. Est vallis, ait ille, quæ continuis montibus velut muro quodam cincta, ad instar hortorum clauditur: spacium loci ducenta millia iugera, nomine Hiericho dicitur. In ea valle sylua est, & vbertate & amœnitate insignis. Siquidem palmeto & opobalsamo distinguitur. Arbores opobalsami formam similem piceis arboribus habent, nisi quòd sunt humiles magis, & in*

& in vinearum morem excoluntur. Hęc certo tempore anni balsamum sudant : sed nō minor loci eius opacitatis quā vbertatis admiratio est : quippe cūm toto orbe regionis eius ardentissimus Sol sit, ibi tepida aëris naturalis quædam & perpetua opacitas inest. *Hęc Iustinus.*

*Transimus verò iam ad tempora Davidis, quibus ratione quædam noua & prius insolita suum in hiscè terris populum extulit & nobilitauit Dominus. Cūm enim hætenus summa rerum Israëlitarum nondū in unum quendā principem collata, nondum ad unā quandam tribum certam alligata esset, sed ex solo Dei nutu penderet, quosnam, vel ex qua tribu, re ita poscente, excitaret populo suo duces atq; iudices, qui populum præscriptis per Mosen legibus gubernarent, intra verbi diuini cancellos continerent, exorbitantē etiam retraherēt, causas examinarent, ius dicerent, arcerent hostes externos, Chananæos verò nondū eictos, nouarūq; rerū studijs flagrantēs cōpescerent, totāq; gentis Hebrææ gubernationē sustinerent : sub Saule tandē Davidis antecessore, Respub. Hebræorū in regia politie formā est cōmutata : eoq; modo factū, ut ex maiestate sceptri regieq; dignitatis fastigio & splendore gens tota velut in altiorē subuecta gradū notior in orbe clariorq; euaderet.*

I Davidis

Davidis certè amicitiam aliquot Reges exteri, atq; inter hos Hiram cumprimis, Rex Tyri, ambiuit & coluit: & occasione huius amicitiae religionis quoq; vera gustum aliquem non pœnitendum percepit. Taceo, quòd prius per exilia Davidis cum inter Philistaeos tum Moabitas, populus Israëliticus, & fortassis huius etiam cultus, in illarum gentium clariorem notitiam peruenit.

Davidis filium autem Solomonem quid ego prædicem? sub cuius imperio cultus atq; nomen Dei Israëlis sic effulsit, ut non Regina duntaxat Sabæa ex remotissimis Austri finibus ad percipiendam Regis istius sapientiam aduentaret; sed ob celebrem eam famam sapientiae Solomonis longissimè latissimèq; peruagatam, penè cuncti Reges à proculdissitis orbis terrarum partibus legatos Ierosolymas mitterent, salutem Regi nunciarent, offerrent munera, gratularentur, ambirent amicitiam, & Deum Israëlis concelebrent, qui populo Hebræo Regem tam pium, tam sapientem, tam exacta rerum diuinarum humanarumque intelligentia præditum, tam gloriâ clarum & illustrem, denique nullis non summis ornatum cumulatumque dotibus præfecisset. Atque omninò prædicatio illius sic passim in mundo increbuit, ut non modo tumultus ille, qui corpus eius exceperat, gloriam obscure

rare

rare non posset; sed ipse ille tumulus, ipsum illud sepulcrum Solomonis gentiliū literis monumentisq; celebratum inueniatur. Etenim Dion Cassius Niceus de clade Iudeorum sub Adriano Imperatore scribens, presagium eius quoddam fuisse ruinae sepulcri Salomonis interpretatur. Hac sunt eius verba: Quam cladem etiam antè bellum multa ipsis (Iudeis) nunciauerant. Nam Solomonis sepulcrum, quod illi in supremo cultu & reuerentia habēt, sponte ac nullo impellente corrui.

Est verò & hoc obseruatu apprimè dignum, quòd populi Israëlitici varia dispersio illustranda inter gentes gloriae Dei materia quaedam atq; seges extitit. Vnde haud rarò factum, ut ad cultum Hebraeorum aliqui certè gentiliū se aggregarent; reliquis excusationis in Dei iudicio praescinderetur ansa. Sic in iudicio puella per latrunculos Syros è terra Israëlis abducta perficitur, ut Naëman Syriacarum legionum dux praestantissimus, sed leprosus, Propheta Eliseo se committeret, à lepra, qua laborabat, emundandum. Qua occasione non solum Naëman superstitionibus auitis nuncium remittit, sed toti aulae Syriacae potentia Dei veri palam innotescit. Decem tribus quoq; bello Assyriaco suis sedibus excussa, & in totius regni Assyriorum partes atq; loca translata,

1 2 de suo

de suo Deo, quem in terra Israël coluerant, muta fuerunt minimè. Et si enim ob idolomaniam, qua Deum offenderant, fuerant eiecta & abducta: tamen supremum illud religionis Israëliticæ caput, de professione Dei vnius (qui populum Israël olim ex Aegypto educitum in terram Canaan collocasset, gloriamq; nominis sui stupendis prodigijs asseruisset) retinuerunt in medijs illis superstitionibus. Quin fuerunt inter illos, qui nec in idolatriam contribulum Israëlitarum, nedum in Ethnicas superstitiones Assyriorum unquam consenserant: quod Tobie nos manifestum exemplum edocet.

Vicissim gentiles, in sedes abductarum tribuum ab Assyrio collocati, cum ritus Iudeorum permultos amplexi sunt, tum expectari è natione Iudaica Messiam mundi exactè cognitum exploratumq; tenuerunt: quod è colloquio Christi & Samaritanae feminae, Iohannis quarto, liquiddissimè cernitur.

Vt his, quæ dicta sunt, aliquid etiam de Hiskia Rege attexã: fuit profectò is inter celeberrimas orbis nationes longè clarissimus. Quam famam nominis conciliauit ei, partim prodigium in ipsi gratiam editum represso vel retracto potius è medio cursu Sole decem linearum spacio: cuius rei penitus exploranda causâ Rex Babylonius legatos ad



tos ad Hiskiam miserat: partim miranda ipsius ab infestis copijs Regis Assyriorum liberatio, singulari virtute Dei parta, qua hostis aduersus Deum & homines insanientis barbarus exercitus strage centum & octoginta quinq; millium sic debilitatus est, sic ad preces Regis Hiskia & Propheta Esaia fracta & diminuta vires, ut qui gladium Angeli euitassent, de spe victoriae penitissimè deiecti illaudata fuge se totos committerent.

Hec res ad Herodoti usq; tempora fuit inter gentiles apprimè nota, quam ipse scriptione sua magis etiam ab obliuionis tenebris vindicare studuit. Nam quae de Sethone Rege, eiusq; Sacerdote, libro secundo narrat, quo pacto precibus aduersus Sennacheribi copias se defenderit: ea (solo nomine Sethonis, quod diurnitatis iniurià deprauatum constat, excepto) ad unguem quadrant in Hiskiam Regem, eius Prophetam Esaiam; quos suis ad Deum precibus ardentissimis eam liberationem obtinuisse, Regum libri testantur. Et illustratur rei veritas, si consideremus, in uniuersa historia Sennacheribi simile aliquod aliud factum reperiri nullum, cui Herodoti quadret narratio. Ergo rerum ad Ierosolymam gestarum Herodotus nò dubiam mentionem facit. Quem admodum etiam Neconis, Egyptij Regis, &

belli ab eo in Syria (hoc est in Iudaea, qua Syria pars vulgò censebatur) gesti, in quo sanctissimus Deiq; amantissimus Rex Iosias occubuit, non obscure meminisse videtur Herodotus eodem libro.

Porro quàm potentibus indicijs sub quatuor florentissimis Imperijs & Monarchijs notitia veri Dei ex obscuritatis caligine emerferit, opera precium est eadem diligentia excutere. Nabuchodonosor profecto, sub quo Babylonicum regnum in summo flore haud dubie fuerat, partim somnio suo ex obliuionis abyssso per Danielelem producto & enarrato; partim miraculo amicorum Danielis in densissima Babylonici camini flamma conseruatorum; partim quoque pœnis fatalibus, quas Deo ob suam dedit superbiam & immisericordiam, edoctus, Deum insignium veritatis testium, Sadrach, Mesach, & Abednego, verum Deum pleno ore predicat; qui solus potuerit abscondita ex abyssi tenebris in lucem hominum proferre, confessores suos in media flamma fornacis integros præstare & illesos, cuius sempiterna sit potestas, nullisq; seculis terminatum imperium: de quo etiam Deo vero sanctè colendo publicum editum in omnes sui regni prouincias diuulgat.

Videmus ergò, quàm efficaciter in illa Monarchia prima cultus Hebræorum sit coram gentibus illustratus.

In se-

In secunda, quae Persarum & Medorum est, Monarchia, quàm celebrem reddiderit Deus cultum & populum suum in exteris regnis, hinc apparet, quòd Cyrus primo statim anno Monarchiae suae copiam fecit Iudaeis redeundi ex terra captiuitatis in patriam, aedificandi urbem, restaurandi templum, redintegrandi politiam, Remq; publicam superiorum annorum turbibus haud mediocriter concussam ab integro stabilendi. De hoc Cyro refert Iosephus, quòd lecto Esaiæ vaticinio de se nominatim edito, populum Dei maiore etiam benignitate complexus sit.

Quid verò Darium referam? qui Daniele Propheta sapientia sublimem & admirabilem tanto studio beneuolentiâq; prosecutus legitur, ut in amplissimam dignitatem euehere, adeoq; regni gubernacula concedere ei minimè dubitârit, cumq; illum à leonum violentiâ, in quorum fossam inuidiâ procerum coniectus fuerat, illesum permansisse cognosceret: omnibus populis, tribubus, & linguis, solenni promulgato diplomate, edixit; ut hunc Deum verum à Daniele hactenus prædicatû colerent, quippe cuius regnum non dissipetur, & potestas ipsius in aeternum duret, qui mirabilia faciat in cælo & in terra, qui Daniele in fossa leonum potenter eruerit & liberârit, Dan. 6.

Pari ferè beneuolentia *Ahasuerus* seu *Artaxerxes* dignatus est *Iudeos* in patriam haud dum reuersos, pacem eis sub regno suo immunitatemq; concedens, & *Hadassam*, quam *Scriptores Ethnici* literis paululum commutatis *Atossam* nominant, ex *Hebræo* populo coniugem sibi ducens, illiusq; patrum *Mardocheum*, precipui nominis *Iudæum*, ad eminentissimæ dignitatis culmen attollens. Que fax notitiæ rerum *Iudaicarum*, his modis apud exteros accensa, semper deinde in illis regnis, semper in *Chaldæa*, semper in reliquo *Oriente* scintillauit, donec in uniuersali uocatione gentium sub *Christi* regno in splendidissimum agnitionis diuinæ *Solem* conuersa est. *Vaticinijs* quippè *Danielis* eruditæ eæ gentes multa de *Iudeis*, multa de illorum sacris atq; cultibus, de *Messia* ex *Iudeis* nascituro multa nouerant, multa predicabant, ut infra dicetur latius.

In tertia *Monarchia*, quæ penes *Græcos* erat, non minùs euidentib; testimonijs illustrata apud gentes est *populi Dei* religio, quando sub *Ptolemæo Philadelpho* liber *Bibliorum* ex *Hebræa* in *Græcam* linguam eo tempore uulgatissimam est translata, atq; iam in gentilium *Regum Bibliothecis* religiosè asseruari cæpta. Porro *historiam* conuersionis *Bibliorum*, per septuaginta interpretes iussu *Regis* susceptæ & perfectæ, descripserunt

runt Aristæus, Philadelphi Regis Bibliothecarius, Philo Iudæus, Iosephus in libris Antiquitatum & contra Apionem gentilem, Iustinus, Tertullianus, Epiphanius, Augustinus, & alij. Quara-  
tione accidit, ut cultus Israëliticus unâ cum ipso volumine Bibliorum græcè scripto in aulas ex-  
teras, adeoq; in aulam Æthiopiæ usque penetra-  
ret; quod Eunuchi Regina Candaces exemplum perspicuè docet. Is enim exemplar habebat Scri-  
ptorum Mosis & Prophetarum, legebat in Esaia libro, quando Ierosolymâ reuertebatur domum; qui prius inde ex Æthiopia venerat, ut in tem-  
plo Ierosolymitano adoraret Dominum, sicut Actor. 8. capite legitur.

Cæterum in Monarchia quarta & ultima, et-  
iam ante Christi Natiuitatem, Iudaicorū sacro-  
rum fama vehementer inclaruit. Tamen si præ  
incredibili fastu, quo res exoticas & peregrinas  
despiciebant Romani, etiam populi Dei cultus Im-  
perij sui maiestate gloriaq; rati sunt indignos.  
Cicero Reipub. Romanæ florentissimus Orator, ut  
elato supercilio aspernatur cultus Iudæorum? ut  
maledico stylo insectatur urbem Ierosolymam? ut  
impia lingua loquitur blasphemias in sanctissi-  
mum Dei Israëlis templum? ut virulento pectore  
exagitat & perstringit gentem ipsam Iudaicam?  
quam in oratione de Prouincijs Consularibus ser-

*uituti natã ait. Et in ea, quam pro Flacco habuit  
 oratione, cultum Iudæorum superstitionem  
 barbaram appellat, cui resistere, seueritatis,  
 multitudinem Iudæorum flagrãtem, non-  
 nunquam in concionibus pro Republica  
 contemnere, grauitatis esse dicit. Et addit:  
 At Cn. Pompeius, captis Ierosolymis, victor  
 ex illo fano nihil attigit. In primis hoc vt  
 multa alia sapienter. In tam suspiciosa ac  
 maledica ciuitate locũ sermoni obtrecta-  
 torũ non reliquit. Non enim credo religio-  
 nem & Iudæorũ & hostium impedimento  
 præstantissimo Imperatori, sed pudorẽ fuis-  
 se. Et paucis interiectis inquit: Sua cuiq; ciui-  
 tati Religio, Lẽli est; nostra nobis. Stantibus  
 Ierosolymis, pacatisq; Iudæis: istorũ tamen  
 religio sacrorũ à splendore huius Imperij,  
 grauitate nominis nostri, maiorũ institutis  
 abhorrebat. Nũc verò hoc magis, quòd illa  
 gens, quid de imperio nostro sentiret, osten-  
 dit armis. Quàm chara Dijs immortalibus  
 esset, docuit, quòd est victa, quòd elocata,  
 quòd seruata. Hactenus Cicero. Idẽ verò de Au-  
 gusto Casare testatur Suetonius, quòd cùm aliã  
 peregrinarũ ceremoniarũ studiosissimus fuerit,  
 Iudæorum tamen sacra tantoperẽ despexerit, vt  
 Caium nepotẽ collaudaret, quòd Iudæã præterue-  
 hers*

hens ad Ierosolymam non supplicasset. Ex quibus Principum Ciuitatis Romanae testimonijs euidenter apparet, cultum Ecclesiae Dei in potentissima Monarchia Romanorum, ante natum quoque Christum tam illustrem extitisse; ut Cicero cum Lelio in causa L. Flacci disceptaret, non esse religionem Iudeorum tanti faciendam aut aestimandam, quanti forte Lelius in sua accusatione pendendam censuerit. Et in utroque, Cicerone & Augusto, satis apparet, quamuis religionem urbis & Templi Ierosolymitani superba impietate contemnerent: id tamen illos non plane fecisse absque conscientiae occultis stimulis.

Maximè verò cum beatum illud cunctis quae seculis desideratum tempus appeteret, quod antiquitus Messiae in orbem Aduentui dictum à Spiritu sancto est: toto penè mundo publicis spangebatur vocibus, imminere insignè quandam rerum humanarum mutationem, & praesto esse Regem nouum ex Palestina proditurum, qui suum inter homines regnum iisdem finibus ac regionibus, quibus hic terrarum orbis clauditur, terminaturus sit. Suetonius in vita Vespasiani recensens causas, quibus moti Iudaei collum suum iugo Romanorum submittere detrectarent, haec scribit verba valdè memorabilia: Percrebuerat Oriente toto vetus & constans opinio, esse

esse in fatis, ut eo tempore Iudæa profecti rerum potirentur. *Cum quibus suavi harmonia consentit narratio Flauij Iosephi, libro sexto bellorum Iudaicorum cap. 31. in hunc scribentis modum: Cæterum anceps quædam & in sacris quoq; literis fundata prædictio cum primis ipsos ad rebellandū incitauit, cuius sensus est, quòd ipso illo tempore quidam ex Iudæorum finibus imperium & dominium mundi esset acquisiturus. Atq; hæc quidem Suetonius & Iosephus ad Vespasianum referunt; verum sine omni, non dicam firma, sed probabili saltem ratione. Vespasianus enim nec ex Iudæa fuit oriundus, nec ibi Regni sui fundamenta iecit, ut exinde in alias regiones orbis, tanquam Romano Imperio nondum subactas, excurreret, easq; demum subiugaret. Agitur enim isto Oraculo de regno nouo, de regno demum acquirendo & in orbe constituendo; cum quidem Vespasianus non nouum regnum sit exorsus, sed Imperium iam antè aliorum virtute partum acceperit. Et si ad Romanum Imperium id Oraculum pertineret: cur de Vespasiano potius esset editum, quàm de illustrissimis antecessorib<sup>9</sup> eius, C. Iulio Cesare & Augusto? quos, siue gloriam rerum gestarum, siue reportatas ab hostibus victorias, siue actos celebratosq; triumphos, siue Imperij am-*



ry amplitudinem spectes, modis omnibus orna-  
 tiores Vespasiano clarioresq<sup>3</sup> fuisse certum est.  
 Euentus autem ipse, qui vaticinorum oraculo-  
 rum optimus interpres est, palàm docuit, in ne-  
 minem alium quàm Iesum Nazarenum, vatici-  
 num illud posse conferri, qui Iudæus, de Iudæis na-  
 tus, ex Iudæa verè prodiit, ibidem regni funda-  
 menta iecit, eiusq<sup>3</sup> pomæria prædicatione doctri-  
 na Evangelicæ ad ultimas terrarum omnium  
 oras atq<sup>3</sup> fines protulit; planè vt Spiritus sanctus  
 in Psalmis & sanctorum Prophetarum scriptis  
 prænunciauit. Rectè igitur Egesippus, qui histori-  
 am vastatæ urbis ac templi, posteritatis memo-  
 riæ consecrauit, lib. 4. bell. Iud. cap. 44. hac de re sic  
 differit: Quare occupata arce Antonia fece-  
 runt quadrangularem templi circuitum,  
 in quo hoc longè omnium celebratissi-  
 mum, & antiquis literis, quas sanctas voca-  
 bant, insculptum manebat, quòd circa hæc  
 ipsa tempora (quibus scilicet Templum inflam-  
 matum ac dirutum est) exoriturus esset vir ex  
 ipsorum regione, qui dominium totius  
 mundi esset accepturus. Quæ res illos eò  
 dementiæ adegit, vt non tantùm liberta-  
 tem pristinam, sed etiam tale regnū (terre-  
 num) sibi somniarent. Nonnulli hæc ad Ve-  
 spasianum retulerunt: sapientiores autem  
 ad

ad Dominum Iesum, qui in ipsorum regione secundum carnem ex virgine natus, regnum suum per totum mundum eo tempore dilatauit. *Hæc piè ac solidè Egesippus. Et congruunt ista cum eo etiam, quod de Cesare Augusto Suidas recitat. Is cum Apollinis fanum ingressus quæreret: quis post se futurus esset Monarcha? responsum ei fertur, puerum Hebraeum fore mundi Dominum, qui etiam finem & silentium idolorum oraculis sit impositurus.*

*Quid, quòd his ipsis sermonibus in mundo increbescantibus de Messia Davidis filio, permotus Domitianus Caesar, ad necem conquiri iussit quotquot ex posteris essent Davidis? ne imperium orbis ad Davidis transiret posteros? Verùm mutasse fertur sententiam, cum duo quidam è familia Davidis orti coram eo sisterentur, homines tenues, ad labores magis quàm arma vel gestanda vel tractanda instituti, quos nihil tale conaturos, ex ipsa re capiebat iudicium. Quin Vespasianus ipse celebre illud oraculum haudquaquam de se interpretari potuit, sed factò proprio suo expositionem à nobis assignatam comprobavit. Cùm enim per famam publicam de Rege Messia ex familia Davidis orto cognosceret, atque hinc Imperio*

perio suo non parum metueret: ipse ad hoc auer-  
tendum ( ut putabat ) periculum, eos, qui de  
domo familiâque Davidis essent, ad necem  
trahi voluit. Vnde Egesippo & Historia Ec-  
clesiastica testantibus, Iudæis grauisima nata est  
Seditio.

Hæc, quæ ex diuersis autoribus modo attuli-  
mus, ostendunt perspicuè, quàm peruulgata in  
mundo fama extiterit de Messia Rege ex Iu-  
dæis exorituro: ut non abs re Iudæi ortum istius  
Regis ad suam gentem pertinere sint rati.  
Hallucinati autem in eo sunt, quòd quæ de  
regno Christi spirituali prædicta fuerant, ipsi ad  
sua somnia de terreno regno stabiliendo accom-  
modabant, ijsq; ad concitandas seditiones impro-  
bè abutebantur.

Et quod Suetonius loco suprâ citato narrat,  
famam illam peruasisse totum Orientem: id  
Magorum historiae exacta congruentia respon-  
det. Qui cum essent Orientales, hac ipsa ducti  
non opinione, ( ut Suetonius appellat ) sed no-  
titia, per Spiritum sanctum plenius confir-  
mata, eò usque in fide profecerunt, ut  
stellam nouam, quam in cælo videbant ac-  
censam, Natiuitatis Christi nunciam esse ne  
tantillum quidem ambigerent, sed illius visendi  
adoran-

adorandiq; incredibili desiderio impulsī, inde ex Oriente Ierosolymam maximis itineribus advolarent, neq; ibi demum exquirendum putarent, num talis quispiam ex Iudæis expectaretur Rex seu Messias; sed hoc extra omnem dubitationem collocato, rectè sibi locum atque sedem natiuitatis designari peterent. Proinde licet Suetonius, homo gentilis & Ecclesiæ Dei inimicus, hanc Orientalium de Messia mundi conceptam notitiam, opinionis vocabulo leuiore extenuet: tamen vi veritatis adactus rectè illam constantem nominat, & veterem insuper, quod ea fama iam ab aliquot seculis altissimè hominum animis insederit, maximèq; Orientem occuparit, ab eo tempore, quo Daniel in Chaldaea floruit, suisq; scriptis, ut & voce viva, doctrinam veram de Messia in illis Orientis partibus egregiè sparsit, propagauit & illustrauit.

Cæterum in commemorationem historiarum, quas Ethnici Autores descriptas reliquerunt, veniunt quedam ἀξιόλογα, quæ cum Iesu Christi & Christianæ Ecclesiæ historia pulcherrimè conueniunt, aut certè in præcipuis circumstantiis concordant. Infanticidium Herodis ob famam de nato Messia crudissimè susceptum, non modò narratur à Philone & Iosepho, Iudaicarum rerum scriptoribus; quorum ille refert Herodem ijs rumoribus

moribus permotum inter ceteros infantes filium proprium ex Hebraea natum curasse occidendum: hic verò lib. 17. Antiquit. Iud. narrat, postquam cognouerit Herodes relatu cuiusdam Pharisæi, finem sibi totiq; familiae suae imminere ex supremae Maiestatis decreto: adeo commotum illum fuisse, ut non solum Pharisæos complures, sed omnes eos, ad quos regnum deuolui posse putabat, unà cum illorum infantibus familijsq; trucidari iusserit: non hi, inquam, ex Iudæis Scriptoribus ista recensent soli: sed etiam gentilis Scriptor Macrobius aliquid de hoc Infanticidio audiuit & annotauit, inter iocos referens Augusti Cæsaris, quòd audiens, Herodem inter pueros, quos infra bimatum in Syria præceperit occidi, suum quoq; filium interfici curasse, responderit: Malim Herodis porcus esse, quàm filius. Videmus itaq; commemorationem hominum de nato Rege mundi, Christo seruatore, occasione Herodiani infanticidij sonoris vocibus Ethnicorum potenter increbuisse.

De miraculis Christi & Apostolorum audiimus supra testificantes Iudæos, licet Christiano nomini infensissimos. Et fuisse illa toto orbe nota, demonstrauit admiranda omniũ gentiũ conuersio, quas nõ nisi signis omni luce clariorib; ad fidẽ Iesu Christi conuerti potuisse supra dictũ est.

K

Et

*Et ut in illo testimoniorum Elencho progrediamur, memorat Cornelius Tacitus, Christum sub Tiberio Cesare per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectum. Fertur etiam, Tiberium Imperatorem Christum in Deorum numerum iudicasse recipiendum. Qua de re contra gentes Divus Tertullianus sic scribit: Ut de origine aliquid retractemus eiusmodi legum, vetus erat decretum, ne quis Deus ad Imperatore consecraretur, nisi à Senatu probaretur, ut M. AEmilius de Deo suo Alburno fecit. Facit & hoc ad causam nostram, quòd apud vos de humano arbitratu Diuinitas pensitatur. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit: homo iam Deo propitius esse debebit. Tiberius ergo, cuius tempore nomen Christianum in seculum introijt, annunciatum sibi ex Syria Palæstina, quòd illic veritatem illius Diuinitatis reuelârat, detulit ad Senatum cum prærogatiua suffragij sui. Senatus, quia non ipse probauerat, respuit. Cæsar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum. Hanc ipsam historiam sic refert Eusebius: Pilato de Christianorum dogmate ad Tiberium referente, Tiberius re-*  
tulit

tulit ad Senatum, ut inter cætera sacra reciperetur: verum cum ex Senatusconsulto Patrum, Christianos eliminari vrbe placuisset: Tiberius per edictum accusatoribus Christianorum comminatus est mortem.

*Allegatur etiam à quibusdam non intempestiue id, quod Plutarchus in libro de interitu Oraculorum refert de magni Panos morte sub Tiberio Cesare. Quod ad passionem & mortem Christi pertinere manifestum est. Et Eclipsi, quæ die Dominicæ passionis extitit, motus Dionysius Areopagita dixisse fertur: Aut Deus naturæ patitur, aut mundi machina dissoluetur.*

*De eadem Eclipsi simul ac terræ motu, qui tempora passionis Christi accidit, Phlegon accuratus ac diligens Olympiadum supputator, quarto libro (Eusebio referente) in hæc scribit verba: Quarto autem anno 202. Olympiadis magna & excellens, inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis est facta: dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus; ut stellæ cælo visæ sunt: terræ motus in Bithynia Nicænae vrbs multas ædes subuerterit. Hæc Phlego. Quæ recitatio cum historia Euangelistarum egregie admodum consentit. Passus enim est Dominus noster ipso illo anno, qui ducentesima secunda*

Olympiadis quartus fuit: exorta Eclipsis illa magna & insolita eâdem diei hora, quam Phlegon annotat, nempe sexta; ab hac namq; vsq; ad horam nonam durâsse illam commemorant sancti Euangelistæ: factus etiam tùm tremotus, ut ijdem recensent.

Deniq; verò & persecutiones, quas atrocissimas Christiani illis exorientis Ecclesie temporibus sunt perpeffi, literis Ethnicorum denarratæ extant. Primam persecutionem sub Nerone motam, in qua duo præclara lumina Ecclesie, Petrus & Paulus, occubuerunt, attigit Cornelius Tacitus, qui cùm vrbs Roma iussu Neronis incensa esset, crimen in Christianos conferri curauit, ut aliqua suppeteret affligendi eos occasio. Sic autem habent verba Taciti: Ergò abolendo rumori Nero subdidit reos, & exquisitissimis pœnis effecit, quos per flagitia inuisos vulgus Christianos appellabat. Autor nominis eius Christus, qui Tyberio imperante per Procuratorem Pontium Pilatū supplicio affectus erat. Repressa q; in præsens exitialis superstitio rursus erumpebat, non modò per Iudæam originem huius mali, sed per urbem (*Romam*) etiam, quo cuncta vndiq; atrocita ac pudenda confluunt celebranturq;. Igitur primò correpti, qui fatebantur

(scilicet



(scilicet se esse Christianos) indicio corū multitudi-  
 ingens, haud perinde in crimine in-  
 cendij, quàm odio humani generis, cōiun-  
 cti sunt. Ea pereuntibus addita ludibria, vt  
 ferarum tergis contecti laniatu canum in-  
 terirent, aut crucibus affixi, aut flamma-  
 di, atq; vbi defecisset dies, in vsum nocturni  
 luminis vrerentur.

*De persecutione, sub Traiano Imperatore quæ  
 accidit, dignissima lectu extat Epistola Plinij se-  
 cundi: in qua refert Casari, quem in affligendis  
 Christianis processum tenuerit, quem modum sit  
 secutus; videlicet quòd eos, qui aliquoties interro-  
 gati, num essent Christiani, hoc ipsum post com-  
 minationē periculi profiteri pergant, ad supplicia  
 rapi iusserit, quòd existimet, quicquid tandem  
 sit, quod profiteantur Christiani, peruica-  
 ciam tamen istam & inflexibilem obstina-  
 tionem puniri debere. Ibidem de verè Chri-  
 stianis inquit, eos nullaratione posse compelli, vt  
 Deos gentilium venerentur, vt imagini Im-  
 peratoris supplicent, vt Christo maledi-  
 cant. Notatuq; apprimè dignum est, quod nar-  
 rat, eos ipsos, qui à Christianismi professione rur-  
 sum secesserint, esse fassos, hanc fuisse sum-  
 mam vel culpæ suæ, vel erroris, quòd fuis-  
 sent soliti statò die ante lucem conuenire,  
 K 3 carmenq;*

carmenq; Christo quasi Deo dicere secum  
 inuicem, seq; Sacramento non in scelus ali-  
 quod obstringere, sed ne furta, ne latroci-  
 nia, ne adulteria committerent, ne fidem  
 fallerent, ne depositū appellati abnegarent;  
 quibus peractis, morē sibi discedendi fuisse.  
 Affirmat etiam, se ex duabus ancillis Chri-  
 stianis per tormenta de rebus Christiano-  
 rum quæsiuisse, vt certiūs rem explorâret;  
 sed nihil inuenisse aliud, quàm supersti-  
 tionem prauam & immodicam (*vt ipse qui-  
 dem odio Religionis loquitur*) Deniq; scribit, se  
*multitudine eorum, qui ob professionem Chri-  
 stianæ fidei in capitis discrimen adducerentur,*  
*moueri, vt, quid porrò sibi agendum sit, Cesareis*  
*litteris edoceri cupiat.* Multi enim, inquit,  
 omnis ætatis, omnis ordinis, vtriusq; sexus  
 etiam vocantur in periculum & vocabun-  
 tur. Neq; enim ciuitates tantum, sed vicos  
 etiam atque agros superstitionis istius con-  
 tagio peruagata est.

*De Romano Cesare, Tiberio, dictum suprâ est,*  
*quàm ille de Christo senserit præclare, ita vt in*  
*Deorum numerum asciscendum putârit. Neque*  
*verò frigidius aut leuius de eo senserunt Adria-*  
*nus & Alexander Seuerus itidem Cesares,*  
*quantumuis adhuc Ethnici. De quibus Alius*  
*Lamprius*

*Lampridius ita scribit* : Vfus viuendi eidem (Seuero) hic fuit: Primùm, vt si facultas eſſet, id eſt, ſi non cum vxore concubiſſet matutinis horis in larario ſuo (in quo & Diuos Principes, ſed optimos electos, & animas ſanctiores, in quibus & Apollonium, & quantum Scriptor ſuorum temporum dicit, Chriſtum, Abrahamũ, & Orpheum, & huiuſcemodi Deos habebat ac maiorum effigies) rem diuinã faciebat. *Ibidem*: Capitolium ſeptimo die cùm in vrbe eſſet, aſcendit, templa frequentauit, Chriſto templum facere voluit, eumq; inter Deos recipere. Quod & Adrianus cogitãſſe fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus ſine ſimulacris fieri iuſſerat, quæ hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur Hadriani, quæ ille ad hoc parãſſe dicebatur. Sed prohibitus eſt ab his, qui conſulentes ſacra, repererant, omnes Chriſtianos futuros, ſi id optatò eueniſſet, & templa reliqua deſerenda. *Et poſt pauca*: Cùm Chriſtiani quendã locũ, qui publicus erat, occupãſſent, cõtrà popinarij dicerent, ſibi eum deberi, reſcripſit (*Alex. Seuerus*) meliùs eſſe, vt quomodocunq; illic Deus colatur, quàm popinarijs dedatur. *Idẽ Autor ſic de hoc Imperatore pergit*: Hortatur

K 4                      populum

populum, vt si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus: si non probâset, subiret poenam capitis. Dicebatq; graue esse, cùm id Christiani & Iudæi facerent in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in prouinciarum Rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur & capita. Item: Si quis de via in alicuius possessionem deflexisset, pro qualitate loci aut fustibus subiiciebatur in conspectu eius, aut virgis, aut condemnationi, aut (si hæc omnia transiret dignitas hominis) grauissimis contumelijs, cùm diceret: Visne hoc in agro tuo fieri, quod alteri feceris? Clamabatq; sæpiùs, quod à quibusdam siue Iudæis, siue Christianis audierat & tenebat, idq; per præconem, cùm aliquem emendaret, dici iubebat: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Quam sententiam vsq; ad eò dilexit, vt & in palatio & in publicis operibus perscribi iuberet.

*Quare vt huic κριτηρίω certitudinis Colophonem addam; cernitur ex tam varijs omnium generum Scriptoribus, unanimi populorum assensu perhiberi testimonium luculentum satis historiae populi Dei, quam Prophetica nobis & Apostolica monumenta promulgârunt. Si veteres*  
*Autores*

*Autores in gentilismo spectes; causa perorata & euieta est. Sin hodiernos in mundo populos: cumulatè rursus obtinemus id, quod volumus.*

*Extra reformatas Ecclesias celeberrima hodiè sunt secta, Iudeorum, Mahometistarum, Pontificiorum, Graecorum, & eorum populorum, quibus magnus ille Rex, siue Presbyter dictus, ut quidam volunt, siue, ut aliorum fert opinio, preciosus Iohannes, praesidet. Quae enumerata secta, unà cum adiuncta Christi Ecclesia, suo ambitu penè orbem terrarum sunt complexa. At nulla vel ex his, vel ex ullis alijs, siue sectis, siue in mundo nationibus, tam est hodie à cultu Dei aliena, quae non vel utriusq; Testamenti vel alterutrius Scripta sub plenissima persuasione indubiae veritatis agnoscat & recipiat. Nam & Pontificij fatentur, Biblicam Scripturam esse à Deo traditam; & Iudei venerantur monumenta Mosis & Prophetarum; & Mahometista in Alcorano suo Prophetas & Apostolos veritatem caelestem docuisse fatentur, & Aethiopia populi illi multis suae Religionis partibus Christiani sunt: Graeci verò etiam propius ad nos accedunt, & de totius Scripturae Canonica firmitate consentiunt.*

154 DE MAIEST. ET CERTIT.  
XIX. ARGUMENTVM,  
ductum à vaticinijs Biblicis eorumq;  
illustri complemento seu  
euentu.

*Sequitur eximium illud documentum certitudinis Scripturae Biblicae, quod à vaticinijs in ea comprehensis & subsecuto rerum euentu petitur. Certum hoc est, esse non creatae virtutis, res venturas certò prædicere, sed solius increatae potentiae, quae temporis rationem omnem altissimè transcendens, sempiternae sapientiae oculo vniuersae coràm intuetur & perlustrat. Qua de causa Dominus apud Esaiam hac facultate, cum noscendi tum à longè prænunciandi res venturas, tanquam infallibili nota, sibi soli gloriam Deitatis vendicat: Dijs gentium verò manifestè negat ac derogat. Quare si sacrarum literarum codici haec nota Maiestatis impressa deprehendetur: tutò poterunt pia mentes statuere illum verè θεόπνευστον, & à solo Deo esse caelitùs inspiratum.*

*Quanquam autem forsàn hìc Deorum gentiliùm oracula nobis obijciuntur: tamen ea tam fuerint ambigua, tam studio obscura, tam anticipi sermone ad vtrumuis reddendum sensum conformata; ut ipsis idolorum cultoribus Ethnicis imposturae vanitatisq; suspicionem mouerint. At oracula Bibliorum volumine descripta, ut*  
verbis

verbis plana sunt, sic euentu quàm liquidissimè comprobata extant. In quorum pia consideratione hoc cum primis ἀξιόλογον occurrit, quòd vel ea denunciant, quæ post multorum annorum, seculorùmue decursum demùm erant adimplenda, & proinde nullis coniecturis deprehendi, nullaquæ non modò humanorum ingeniorum sagacitate indagari, sed ne Angelicæ quidem sapientiæ acumine peruestigari poterant: vel certè ea, quæ coram sensurationis absurda prorsus impossibiliaquæ apparent. Quod dicimus, placet exemplis testatum probatumquæ reddere.

Iacobus sanctissimus Patriarcha quando tribui Iuda sceptrum regium assignat, nonne eis Dei Spiritu vaticinatus intelligitur? Cùm enim eius rei nulla tum in vniuerso mundo coniectura, nullum vestigium extaret, cùm interuentura esset horribilis seruitus & pressura populi maximè diuturna, cùm aliquot seculis nulla regij dominatus affulgeret spes, nulla eius instituen- di se vsquam offerret occasio, cùm primus in Israële Rex non ex tribu Iuda, sed Benjamin deligeretur; atque nihilominus tandem summa rerum ad tribum Iuda perueniret, in eaquæ ad Christi usque tempora duraret, planè ut sanctus ille Pater indixerat: quis non liquido fateatur, Iacobum Dei illuminatum Spiritu præuidisse

præuidisse & prædixisse, quæ post tot secula essent  
euentura.

Prædixit huius filius Iosephus fertilitatem an-  
norum septem, totidemq; annorum famem. Re-  
spondit vaticinio euentus tam exactè, ut huiusce  
rei memoria non tantum sacris literis, sed etiam  
gentilium encomiis per celebrata extet, ut ex Iu-  
stino supra docuimus.

Sic cum Esaiæ tempore regnum Iuda satis esset  
pacatum atq; tranquillum, nec à Babylonico re-  
gno quicquam appareret periculi, imò Babylo-  
nius cum rege Hebræorum Huskia amicitiam co-  
leret: pleno Spiritu vaticinabatur Esaias de euer-  
sione urbis, populiq; dispersione inter Chaldaeos  
seu Babylonios, eiusdemq; ex captivitate reditu.  
Vnde verò hæc, nisi ab ipso Deo profecta? disertè  
nominatur Cyrus, qui Babylonios subacturus, Iu-  
deos verò è captivitate dimissos in libertatem  
pristinam asserturus esset. Porro ab it integrum  
seculum eoq; aliquid amplius, antequàm vlla esset  
Cyri in genere humano mentio. Quis autem eo  
tempore, quo Esaias edebat hoc oraculum, vel per  
somnia cogitare poterat, exoriturum post tam  
longum tempus inter Persas aliquem Imperato-  
rem, Cyrum nomine, qui Babylonijs prælio supe-  
ratis, potentissimaq; illorum Monarchia subacta,  
finem exilio Hebræorum allaturus esset.

Iam



Iam quòd Ieremias paulò antequàm abduce-  
retur populus, periodum exilij septuaginta anno-  
rum termino circumscribit, & euentus eius di-  
cta probat: nònne argumento supra estimandi  
aleam posito testatum efficit, se ex arcano Dei  
consilio ad suos populares hæc proferre.

Quis verò Daniele Propheetam è sublimi  
vaticinantem non miretur? non suspiciat? quis  
non ut diuinæ mentis interpretem reuereatur,  
quando Regi Babylonio non solum oblatis somnij  
secreta pandit, sed somnium ipsum, quod Regi pe-  
nitissimè exciderat, ex abyssò obliuionis erutum,  
cunctis suis circumstantijs sic denarrat, ut Rex  
hoc ipsum & non aliud per quietem sibi common-  
stratum protinus agnoscat, & inauditæ sapientiæ  
admiratione attonitus in hæc erumpat verba:  
Verè Deus vester Deus Deorum est, & Dominus  
Regum, reuelans arcana: quoniam tu potuisti  
aperire hoc mysterium.

Cæterùm de serie quatuor Imperiorum, secun-  
do & septimo sui libri capitibus, quàm est insi-  
gnis? quàm Propheeta grauis? quàm fidus oraculo-  
rum Dei interpretis? quàm rerum post multa secu-  
ra venturarum non dubius aliquis coniector, sed  
indubitatus nuncius? qui sic de venturis agit, ac  
si præteritarum rerum historiam contexeret:  
singulas Monarchias singulis attributis, pro-  
prietatis

prietatibus, atque notis graphicè pingens, & velut oculus subjiciens, circa quartam verò Monarchiam, quæ Romanæ gentis est, describendam, cum primis illustria specimina Prophetico-rum donorum edens. Primò enim ferreum illud robur Imperij Romani declarat, sub ferreorum pedum mysterio, ut & sub figura bestia quartæ decicornis, quæ ferreis suis dentibus uniuersa conterat, residuumq; pedibus proculcet. Deinde eiusdem distractionem in regna plura notabilemque inclinationem indicit, qua vix luteis tandem pedibus extrema sui parte consistat. Quæ si ad euentum rerum examines, manifestè apprehendes, Daniele hinc ut Dei Prophetam cælitus nobis commendari.

Non minus illustre vaticinium est, quod de regno Mahumetico siue Turcico ibidem intertextum legitur. De quo prænunciat Daniel, quòd sub quarta Monarchia paruis quidem oriatur principijs, ad eam verò potentiam atq; robur excrescat, ut tria cornua siue regna florentissima à corpore quariæ Monarchiæ violenter auellat, legum ac temporum mutationem meditetur, os suum aperiat in blasphemias aduersus Deum, cruentis prælijs victorijsq; contra populum sanctum Ecclesiæ Christianæ superbiat. Quæ sic eminè monstrata Danieli, nunc  
post

post multa secula in Turcico regno exactè & ad  
 unguem compleri cernimus. Etenim fuit Ma-  
 humetes barbarici istius regni primus Autor,  
 obscuris ortus parentibus, & mercatori cui-  
 dam, Abdimenepli nomine in ignobilem  
 seruitutem venditus. Sed ingenitæ dexterita-  
 tis usus beneficio, temporis progressu eas vires  
 sibi collegit & acquisiuit, ut vicinis quoque re-  
 gibus formidabilis esse inciperet. Cuius re-  
 gnum his primordijs inchoatum & sub illius  
 Furia successoribus noua subinde prouincia-  
 rum subactarum accessione confirmatum &  
 amplificatum, tria deinceps potentissima re-  
 gna, cornuâque à Romani Imperij societate  
 reuulsit, putâ Græciam, Asiam & Agyptum.  
 Tres etiam diuersissimas religiones, Christia-  
 nam, Arianam, & Iudaicam, impio suo  
 Alcorano in unam conflare tentans, non-  
 ne leges & tempora mutare conatus est?  
 Quis neget os ipsius grandia loqui contra san-  
 ctum sanctorum? dum libro suo detestandis  
 blasphemijs undiquâque pleno articulum san-  
 ctissimæ Trinitatis gigantea immanitate op-  
 pugnat, & doctrinam de adorando Filij Dei,  
 impietate omnes omnino terminos audaciæ te-  
 meritatisq; supergressa, blasphemia ream agere  
 non perhorrescit. Quomodo etiam infustum  
 infestumq;

infestumq; rebus humanis cornu illud nunc penè mille annorum spacio bellum *ἄνω οὐδὸν* indicat populo sancto Dei: quomodo hostilibus excursionibus Christianum orbem duexet; quomodo continuis propè bellis & impressionibus Imperium Romanum concutiat, & in angustum cogat: id verò per infelicem experientiam, tot gentis Turcicae victorij, sad amplificationem infensissimi regni comparatis, tot econtrà rerum Christianarum importunis cladibus edocti scimus. Unde palàm constat, Daniele efflatum Dei Spiritu, res tantas in multa usq; secula futuras praevidisse, de quibus nemo quisquam vel hominum vel Angelorum tùm temporis erat cogitaturus, nisi Deus ipse illas sic Danieli seruo suo cœlitus aperuisset.

Iam vaticinia Prophetarum de Messia, quàm euidenter in Iesu Mariae filio sunt completa? Quòd is sublato è tribu Iuda sceptro nasciturus esset, prædixit Patriarcha Iacobus. Daniel sub 70. hebdomadũ notatione ad ipsum propè annum venientis in mundum Messia, digitum intendit. Locum Natiuitatis oppidulum Bethlehem designat Micheas. Matrem eius virginem fore testatur Esaias. De miraculis, qua facturus esset, idem Propheta voce & scripto vaticinatur. Passurum ipsum & moriturum, Deus  
per

per os sanctorum, qui à seculo fuerunt, Prophetarum evidentissime prænunciauit. Huc pertinebant veteris Testamenti sacrificia atq; victima; huc agnus paschalis; huc serpens aeneus respiciebat; huc etiam Prophetarum vaticinia sine figurarum inuolucris edita spectabant. Videt in Spiritu Zacharias Iudam 30. argenteorum mercede conductum ad prodendum Dominum; intuetur iniquitatis precium illud in domum Domini coniectum, & à proceribus populi pro agrì redemptione datum figulo. Passionem ipsam Domini, lacerationem sanctissimi corporis ipsi, vulnera, liuores, atq; eius inter facinorosos numerati suspensiq; in cruce dolores & cruciatus, tanta perspicuitate recenset Esaias; ut non ventura prædicere, sed iam acta præteritaq; referre, & Euangelista potius, quàm Prophetæ officio fungi videatur. Cui Daniel subscribens, reuelante Dei Spiritu refert, quòd sub exitu penè septuaginta hebdomadam Messias exterminandus seu occidendus sit. Eiusdem Spiritus patefactione David confossas Christi manus atq; pedes, coniecta in eum indignissima conuitia virulentissimosq; sarcasmos, sannas, & gestus hostilis irrisionis plenos, ipsamq; ad eò diuisionem vestimentorum illius cominus intuetur. Sed & subsequutam gloriosam resurrectionē ex mortuis; ascen-

L      sum in

sum in caelos, & regnum nouum per praedicationem Euangelij toto orbe inchoandum praeuunciant sancti illi Dei homines.

Quae uniuersa fidei & religiosi testes, sancti Euangelista, in Domino Iesu Christo completa esse veraci constantiq; commemoratione demonstrant. Quis vero ex his vaticinijs illustrissimo rerum euentu comprobatis non oppido concludat, uniuersam hanc scripturam Propheticam ad nullum alium, quam rerum omnium conscium praesciumq; Dei Spiritum autorem esse referendam?

Sed caepa demonstrationis telam pertexamus. Praedixerunt una voce, unoq; Spiritu (diuersis licet temporibus) Prophetae simul omnes, fore aliquando, ut totus exercitus & effusa gentium plenitudo relictis superstitionibus idolatricis maiorum ad Christi regnum innumerabili multitudine, confertissimaq; copia sese aggregaret. Quae autem natura creata circa tempora Prophetarum sperare poterat, nedum e longinquo praevidere, ac certo praedicere inopinata ista omnium gentium conuersionem ad Euangelicae praedicationis obsequia? Cum manifestum sit, quanto ardore cultus idolorum amplexa, quanto fastidio verum cultum Dei Israelis auersata, quantoq; & quam immortali odio contra Dei populum incense  
inflam-

inflammataq; fuerint. Quod igitur Prophetæ rem tantam, tam insperatam, tam incredibilem, tam longè ab omnium hominum oculis atque sensibus remotam, tam prædixerunt perspicuè, tam graphicè descriptam nobis reliquerunt, haud aliter, ac si concitatissimi huius accursus & aggregationis Gentium ad vexilla Domini Iesu astitissent oculati testes & spectatores: quodq; euentus præter humanam expectationem exactè ad eò respondit: quis non diuino Spiritu afflatus illos hæc ex cælesti curia promulgasse dixerit?

Huic porrò cognatum est insigne & memorabile vaticinium de abrogatione idolatriæ gentilitum, quæ gentium vocationem istam exceptura erat. Esaias enim eo tempore, quo Dij gentium in magna apud illas cum auctoritate, tum admiratione erant, de illorum occasu sic vaticinatur: In illa die exaltabitur Dominus solus, & idola penitus conterentur. Et rursum: In illa die proijciet homo idola argenti sui, & simulacra auri sui, quæ fecerat ad adorandum, in foramina talparum & vespertilionum. Quis autem vel per febrim somniare poterat, circa Prophetarum ætatem, quòd aliquando aboleri vel posset vel deberet idolatria gentium? quæ tam altas in mundo radices egerat,

ut nullis seculis extirpari posse crederetur? At res ipsa manifestè docuit, ad prædicationem Apostolorum idola non aliter quàm ad fulminis ictum corruisse, & consiluisse Deorum gentilium oracula, adeò ut ipsi quoq; Ethnici silentiũ illud Deorum suorum, tanquam rem oppido nouam & insolitam, sint admirati; quemadmodum Plutarchus peculiarem librum de interitu oraculorum conscripsit.

Præterea cum res Hebræorum adhuc essent integra, & coram oculis hominum nihil appareret minus, quàm quò dea gens aliquando abiicienda foret: Esaias, præmonstrante Deo, prædixit desperatam populi proflagamq; erga proprium Messiam ingratitude, & ex hac secuturam tristissimam excacationẽ cum horribili abiectiõne coniunctam. Daniel in super excidium regno indixit, vastitatem urbi ac templo denunciauit, perpetuum exilium toti genti comminatus est. Saluator ipse desolationem Ierosolymæ ac templi Iudæis edicens, ne lapidem quidem super lapidem mansurum, qui nõ diruatur, asseuerauit. Confer huc euentum, & fatebere, ne quidem minutissimum apicem de cunctis hisce super terram (ut Scriptura loquitur) cecidisse. Cui enim ignota esse queat lætuosissima historia regionis deletæ, urbis euersæ & desolatæ, tẽpli diruti, gentis Iudaicæ  
partim



partim gladio contrucidata, partim fame, tempore obsidionis, emortua, partim vi pestis absumpta, partim intestinis seditiōibus & latrocinij concisa, partim in seruitutem vendita, partim verò ad omnes plagas orbis dissecta, tantaq; cecitate & stupore mentis percussa, ut ex infinita propè turba Iudeorum paucissimi hodiè conuertantur; & omnino predictio in eis compleatur Esaia dicentis: Si fuerit numerus filiorum Israël ut arena maris, reliquiae tantum saluabuntur. An non igitur indubia certitudo scripturae Propheticae, & Dei in ea loquentis maiestas egregiè asseritur, ipsisq; oculis nostris atq; sensibus subiicitur, per infallibiles illos diuinarum predictionum euentus?

Sed liceat quaedam ex Nouo quoq; Testamento vaticinia proferre. Non obscure Christus eiusq; sancti Apostoli de sorte Ecclesiae militantis sub vexillo crucis in hoc seculo, de odio Satanae & mundi aduersus illam, ac de persecutionibus hinc in eam excitandis praeuenerunt; fore scilicet, ut Euangelij confessores in concilia tradantur, sistantur Principibus & Regibus, cadantur virgis, exturbentur è Synagogis, excommunicentur, & ultimo tandem mortis afficiantur supplicio; de quibus omnibus sibi hostes non aliter gratulaturi sint, ac si Deo per quàm eximium praestitissent

L 3                      cultum.

cultum. Quin additur insuper; quòd ob Euāgelicæ veritatis professionem frater fratrem, patrem filius filiaq̄, matrem, socrum nurus, hæc vicissim nurum in mortis supplicium, nulla habita vel sanguinis vel propinquitatis ratione, traditura sit; & quòd inimici hominis futuri sint ipsius domestici. Porro, qua perspicuitate hæc adimpleta sint, tum historia Ecclesiastica, tum nostrorum quoque temporum experientia locuples sanè testis, ac veluti Commentarius quidam esse potest. Vicissim quod in vastissimo illo pelago seuissimarum persecutionem, in hoc fremitu Satane, & mundi furoribus, nihilominus inconuulsa permansura sit nauis Ecclesie, & ne à portis quidem inferorum subuerti possit; id sanè Dominus, veteri simul nouoq̄ Testamento, non tam predictionibus indixit, quam iucundis promissionibus sanxit & confirmauit. Et ex harum vicertè Ecclesia semper hæctenus inexpugnabilis persistit, veluti mons Zion immota & inconcussa, utcunq̄, dira minetur Satan, fremat mundus, insaniat & tumultuentur gentes, & Reges terra conueniant in vnum, cōsiliaq̄, ineant aduersus Dominum & Christum ipsius. Nonne igitur hæc Dei ipsius opera sint oportet? qui & pusilli cætus Ecclesie, in tantis tempestatibus ac turbinibus rerum humanarū, immotam firmita-

firmita-

firmitatem providentiæ oculo præcognoscere, per  
seruos suos prædicere, verbo promissionis sponde-  
re ac polliceri, factò denig, ipso quàm potentissi-  
mè præstare & complere queat?

Non hîc prætereunda nobis sunt vaticinia,  
quæ de suborituris in Ecclesia sectis & hæresibus  
luculenta sanè Spiritus sanctus edidit, & Aposto-  
licæ scripturæ literis commisit. Venturos enim  
Antichristos, lupos graues gregi non parcentes,  
sub ouium vestitu latitantes pseudopphetas;  
& oportere omninò esse hæreses, ut, qui pro-  
bati sunt, manifesti fiant: Christus Dominus,  
eiusque sancti Apostoli diligenter admodum  
præmonendum sunt rati. Quis autem est re-  
rum omnium tam rudis, aut sortis Ecclesiæ tam  
ignarus, tam imperitus, qui non cum gemitu  
recordetur, quot quantæq, cunctis seculis ex-  
ortæ olim sint hæreses, atque indies adhuc astu  
Satanae & culpa leuitatæque humanorum  
ingeniorum exoriantur? Ergo & hæ prædi-  
ctiones suis euentibus adimpletæ infallibilem  
certitudinem Scripturæ sacrae nobis sanciant,  
atque hunc diuinorum eloquiorum codicem  
è vulgo caterorum Scriptorum segregatum ad  
DEVM Autorem unicè referendum mo-  
nent. Id verò libentiùs etiam assenseris, si  
clarissimas prædictiones Spiritus sancti de

*Antichristo magno & nequitia ipsius regno penitiùs introspecteris; ubi mirum est, quàm exactè singula prædicta singulis suis complementis responderint.*

*Scriptit Apostolus, insignem illum Christi Aduersarium, καὶ τὸ ἐξοχὸν ἀντικείμενον & Antichristum nuncupatum, in Dei sessurum templo; hoc est, Ecclesie Christianae clauum atq; gubernacula sibi vendicaturum esse. Quod ut ad Mahometem referre absorum foret, quem extra cæctum baptizatorum, ac proinde extra Dei templum versari scimus: Sic in Romanum Pontificem illud totum præcisè competit: qui & natus in Ecclesia est, & eiusdem plenissimum dominatum per tyrannidem sibi rapuit & usurpauit. Prædixit idem Apostolus, Antichristum sese elaturum supra omne, quod Deus aut numen dicitur. Quis autem hoc in Papa Romanensi ad oculum esse completum ibit inficias? Quantoperè enim is supra uniuersa sese efferre laborarit, cum aliàs est demonstratum fusiùs, tum etiam sine multa probatione, per se, terrarum omnium orbiam pridem innotuit. De Antichristo rursum prædixit Paulus, fore aduentum eius in deceptione Satane cum prodigijs & signis fallacibus: ut & Christus testatus est, surrecturos falsos Prophetas & Pseudochristos, qui signa prodigiaq; daturu*

turi sint, ut, si fieri possit, in errorem ducantur etiam electi. In regno autem Pontificio ad Diuorum sacella atq; delubra, ad eorundem statuas, imagines, sepulcra, reliquias, in Cænobijs item, alijsq; eius regni locis prodigia huiuscemodi magno numero designata constat. Rursum prænunt Paulus, sub illo impietatis regno exorturos doctores, tradentes doctrinam demoniorum, prohibendo & nuptias, & cibos à Deo hominum vñibus creatos & concessos. Sub Papæ autem dominatu coniugium toti ordini Ecclesiastico prohibitum, ciborum vsui statis temporibus religiosissimè interdictum esse qui neget: na, is helleboro purgandus potius, quàm ut circa rem Sole clarem probandam magnoperè desudandum videatur.

Sed & locum, è quo memorabilis ea defectio seductioq; in orbem exundatura esset, præsciens ille Domini Spiritus euidentibus designauit notis: dum expressè confirmat; seductricem illam populorum ac gentium esse ciuitatem magnam, quæ regnum habeat super Reges terræ. At verò tempore Iohannis cum hæc in Spiritu vidit & scripsit, Roma sola regnum seu Monarchiam super Reges terræ obtinuit. Vnde caput orbis à profanis quoq; Scriptoribus appellata est. Romæ igitur regnaturum Antichristum, & è Roma horrendam

L s dam

dam hanc & propè vniuersalem seductionem, rapidissimi torrentis ac diluuij instar, orbem occupaturam, Spiritus sanctus notanter asseruit: idq; ipsum multorum seculorum experientia liquidissime comprobauit. Quanquam enim nobile hoc scortum Babylonicum specie quadam ficta sanctimonie, ceu fucò meretricio se pingit & fingit, se Ecclesiam Catholicam, se Christi sponsam, se matrem magnam Ecclesiarum in terris militantium superbe iactitat: tamen diuinis literis eruditi scimus, eam matrem esse magnam spiritualis scortationis, idolatrie, & generibus varie, & impietate fœda ac tetra, atq; adeò omnium abominationum terra; quæ vino prostitutionis suæ vniuersas gentes, & populos, & tribus, & linguas seduxerit. Dum etiam Iohannes famosam veneficam istam, & meretricem magnam, ebriam videt de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Iesu: an non oculari notatione Propheticum digitum intendit ad persecutiones sub Papatu contra Dei seruos excitatas? quando tetra illa bestia victum suum immenso propè hiatu diduxit & aperuit ad deuorandas carnes, exorbendumq; plenis faucibus eorum omnium sanguinem, qui in ipsius idolomaniam & superstitiones concedere detrectarunt? seuiens in illos ferro & igni, nouisq; suppliciorum

pliciorum excogitatis generibus, ut barbara crudelitate sua facile quosuis etiam truculentissimos tyrannos multis parasanguis post se reliquerit.

Reuelandum autem Antichristum nouissimis temporibus, & conterendum, non armis, sed Spiritu Dei per praedicationem repurgati verbi; non minus perspicue Dominus in vaticinijs Biblicis promisit: ipsumq; adeo Reformatorem caelitus nobis commendatum insignibus notis elogijsq; descripsit. Posteaquam enim capite decimo tertio Apocalyp. totum regnum Antichristi velut in tabella depictum proposuerat; mox decimo quarto capite ruinam Papatus annunciaturus, sic ait: Et vidi alium Angelum, volantem per medium caeli, habentem Euangelium aeternum, ut Euangelizaret habitantibus super terram, & omni genti, & tribui, & linguae, & populo, dicentem voce magna: Timete Deum, & date illi honorem; quia venit hora iudicij eius, & adorare eum, qui fecit caelum & terram, mare, & fontes aquarum. Quam Euangelizantis Angeli concionem vox alia protinus excepisse ibidem legitur, hoc argumento: Cecidit, cecidit Babylon ciuitas illa magna, quia vino irae fornicationis suae potauit omnes gentes. Idemque reperitur aliquando clarius, Apocalyp. capite decimo octauo. Nam postquam

postquam Ioannes Babylonem Romanam forni-  
 catione sua spiritali dementantem orbis Chri-  
 stiani Reges & populos, in toto meretricio habitu  
 atq; regno descripsit: postquam illius mysterio  
 eam urbem notari dixit, quæ dominium habeat  
 super Reges terræ, Romam videlicet, quæ se ma-  
 trem magnam totius Ecclesiæ Pontificiæ salutari  
 iubet: confestim Iohannes eundem illum Ange-  
 lum Reformatorem introducit, cuius prædicatio-  
 ne atq; scriptis nova lux Ecclesijs Christianis ori-  
 tura esset; scribens, se post hæc vidisse Angelum,  
 descendentem de cælo, habentem potestatem ma-  
 gnam, à cuius gloria terra sit illuminata, qui ex-  
 clamavit per fortitudinem voce magna, dicens:  
 Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est ha-  
 bitatio demoniorum, & custodia omnis immun-  
 di Spiritus, & custodia omnis volucris immunda  
 & inuisa, quia de vino iræ scortationis eius bibe-  
 runt omnes gentes. O nos ergo multò beatissimos,  
 quibus tam optati vaticiniij optatissimum com-  
 plementum oculis intueri, Angelumq; præclarum  
 eum his postremis temporibus audire contigit.  
 Qui peculiariter à Deo excitatus, & Spiritus  
 sancti inuictò robore armatus & indutus, intre-  
 pide prædicavit Euangelium illud æternum, ad-  
 uersus impietatis Romanæ sedem pestilentiaq; ca-  
 thedræ scriptis suis velut è sublimi fulminans,  
 & filium



& filium perditum illum hominemque scelerosum  
 toti mundo reuelans ac demonstrans. Quam An-  
 tichristi patefactionem illustrem Diuus Ioannes  
 Hussus integro seculo ante rei euentum vidit &  
 personam reformatoris ceu digito notauit; an-  
 num ipsum, qui optate reformationis letum ini-  
 tium exhibiturus erat, euidenter exprimens;  
 cum anno Domini 1415. martyrio coronandus  
 dixit Aduersarijs suis: Post centum annos respon-  
 debitis Deo & mihi. Et paulo antè popularibus  
 suis ex carcere scribens, sic ex Dei Spiritu vatici-  
 natus est: Nunc quidem assabunt anserẽ; at post  
 centum annos veniet cygnus, quem assare nõ po-  
 terunt. Quo etiam memorabili vaticinio Lu-  
 therus in maximis certaminibus contra Papatũ  
 non mediocriter se erexit & sustentauit. Hanc  
 ipsam reformationem Franciscanus quidam Mo-  
 nachus, Iohannes Hiltenius, vitæ laudatæ admo-  
 dum, non solum prædixit, sed & annum designa-  
 uit, quo incomparabilis ille vindex Christianæ  
 religionis arduum id opus reformationis orsurus  
 esset. Quod ex Apologia Augustanæ confessionis,  
 in qua sub titulo de votis Monasticis id recense-  
 tur, huc referre præcium operæ videtur. Sic legi-  
 tur ibi: Apud nos in oppido Thuringiæ, Isenaco,  
 Franciscanus quidam fuit ante annos triginta,  
 Iohannes Hilten, qui à suo sodalitiõ coniectus est  
 in car-

in carcerem, propterea quòd quosdam notissimos  
abusus reprehenderat. Vidimus enim eius scri-  
pta, ex quibus satis intelligi potest, quale fuerit  
ipsius doctrinae genus. Et qui norunt eum, te-  
stantur, fuisse senem placidum & sine morositate  
grauem. Is multa praedixit, quae partim euene-  
runt haectenus, partim iam videntur impende-  
re, quae non volumus recitare, ne quis interprete-  
tur, ea aut odio cuiusquam, aut in gratiam ali-  
cuius narrari. Sed postremo, cum vel propter a-  
tate, vel propter squalorem carceris, in morbum  
incidisset; accersuit ad se Guardiarum, ut suam  
valetudinem illi indicaret: cumq; Guardianus  
accensus odio Pharisaeico duriter obiurgare ho-  
minem propter doctrinae genus, quod videretur  
officere culinæ, cepisset: tum iste, omissa iam mē-  
tione valetudinis, ingemiscens inquit, se has in-  
iurias aequo animo propter Christum tolerare,  
cum quidem nihil scripsisset aut docuisset, quod  
labefactare statum Monachorum posset, tan-  
tum notos quosdam abusos reprehendisset. Sed  
alius quidem, inquit, veniet anno Domini  
M. D. XVI. qui destruet vos, nec poteritis ei re-  
sistere. Hanc ipsam sententiam de inclinatione  
regni Monachorum, & hunc anuorum nume-  
rum postea etiam repererunt eius amici perscri-  
ptum ab ipso in Commentarijs suis, inter annota-  
tiones

tiones, quas reliquerat in certos locos Danielis.  
 Hec Apologia. Plura possem afferre ex Scripturis  
 vaticinia: sed rei presentis confirmandæ suffi-  
 ciunt hæc modo allata. Itaq; ad sequentes Demon-  
 strationes me confero.

XX. ARGUMENTUM,  
 à naturali odio cùm vitiosæ & depra-  
 vatæ naturæ humanæ, tum &  
 Satanæ contra hoc  
 verbum Dei.

Est verò & hoc infallibile argumentum ma-  
 jestatis doctrinæ Propheticae & Apostolicae, quòd  
 (ut & prius attigi) videmus depravati hominis  
 naturam ingenito quodam affectu eam fastidi-  
 re; quin imò, quòd dici solet, cane & angue peius  
 odisse. Hinc quò quisq; est flagitiosior atq; scele-  
 stior, eò acriori odio aduersus illam exasperari de-  
 prehenditur, & omninò crescente malitia & im-  
 pietate hominis, crescunt unà cum ea capitales illa  
 inimicitia contra hoc Dei verbum. Tantò igitur  
 sortitur euidentius testimoniū diuinæ authorita-  
 tis & sanctimonie, quantò concitatiores flagran-  
 tia aduersus id excandescit & insurgit humana  
 impietas. Hoc verò magis etiam dices, ubi Satanæ  
 quoq; conatum aspexeris; quàm ille sit studio acer,  
 quàm animo paratus, quàm in quasuis occasiones  
 intentus,

*intentus, ut sanctorum Prophetarum Apostolorumque doctrinam obscuret, deprauet, impugnet, peruertat, conuicijs deformet, ferro flammisque persequatur, & si voto successus responderet, e rerum natura tollere & exterminare gestiatur. Cuius indefessi studij argumentum non ambiguum est, quod nullis non rationibus, obiectisque impedimentis, homines ab auditu sacrarum concionum auocare nititur. Docent exempla quotidianæ experientia, eos, qui res penè quasuis alias, quamlibet impeditas seruatuque difficiles, memoriâ complecti possunt: tanto tamen laborare stupore circa auditum verbi Dei, ut plurimorum annorum spacio ne rudimenta quidem firmâne principia doctrinæ Christianæ percipiant, quantumuis pro concione repetita millies, summaque fide ac diligentia ministrorum Ecclesiæ identidem inculcata. Qui prodigiosus stupor & oscitantia ad memoriæ vitium quoddam naturale referri haud potest: sed est exitiale illud Satanae opus, de quo Christus ait: quod tollat sermonem de cordibus hominum, ne credentes sanentur & seruentur. Non minus perspicuè cernitur, quam infesto horribilique conatu, nunc à dextris, nunc à sinistris, oppugnet eos, qui seriæ meditationi verbi Dei se addixerunt; quàm acri studio præpotentum animos inflammet, ad persequendam doctrinam sanam: quam*

quàm impigra vigilantia laboreq; sua Zizania  
 spargat, hereses excitet, offendicula gignat, schis-  
 mata pariat, perniciosas & cum sacris literis pu-  
 gnantes opiniones instillet hominibus, hunc so-  
 lum ob finem, ut Evangelicæ veritatis cursum  
 impediat, & semen illud verbi humanarum opi-  
 nionum spinis implicitum, inhabile reddat ad  
 proferendos in mortalibus fructus, eternamq;  
 salutem in eis efficiendam. Nec est, ut quis hæc ab  
 humana potius peruersitate, quàm diabolica ma-  
 chinatione proficisci existimet. Nam & historia,  
 & nostrorum temporum experientia, testatum  
 reddidère, quòd Diabolus ipse haud raro visibili-  
 ter apparens, tota contentione homines aut ad  
 impugnandum aut abnegandum verbum Dei,  
 aut certè ad aliquid contra præscriptum illius  
 tentandum suscipiendumq; instiget. Superiori-  
 bus seculis sub regno Pontificio frequentissimis  
 apparitionibus se visendos exhibuerunt mali de-  
 mones, pro defunctorum animabus sese callidè  
 venditantes, & missas, quibus ex igne purgato-  
 rij liberarentur fictis lacrymis ac gemitibus ef-  
 flagitantes. Cur hoc? Nimirum, ut confirmatis  
 erroribus cumulatisq; pravis superstitionibus,  
 huic verbo Dei, de cuius autoritate modo loqui-  
 mur, horribiles tenebras offunderunt: quod et-  
 iam, Deo sic vindicante mundi ingratitude,

M

non

non absq<sup>3</sup> innumerabilium animarum sempiterno exitio est factum. Eadem fraude miseros Anabaptistas dementavit Satan; ut imprimis patet ex historia Anabaptistarum Monasteriensium, quos per fictas revelationes, somnia colloquiaq<sup>3</sup> delusos, & à simplicitate fidei deiectos, ad fanaticas opiniones miserabiliter abduxit. Porro, quòd Suencofeldianis apparere Diaboli, & sub specie Angelorum lucis cum eis sermones commutare soliti fuerint; notum & manifestum est. Quamobrem verò? Nimirum, ut eis odium verbi Dei instillarent: ut peruersis opinionibus cū reuelato Dei verbo pugnantibus imbuerent: ut totius ministerij contemptum eis persuaderent: eis suggererent, scripturam Propheticam & Apostolicam esse literam mortuam, & prædicationem verbi, nil nisi sonum inanem, per quem Deus neq<sup>3</sup> fidem cieat, nec regenerationem operetur, nec conceptam de hominibus salutem exequatur. Ad præsens hoc institutum pertinet quoq<sup>3</sup> somnium Huldrici Zuinglij, & cuiusdam inauspicati monitoris in eo apparitio; qui, ater an albus esset, ipse Zuinglius se non meminisse professus est. Ab hoc scilicet Magistro Zuinglius opinionis suæ præcipuum fundamentum se didicisse palàm gloriatur. Cur verò hic teter & ater Spiritus Zuinglio, Sacramentaria factionis asto-

toris

tori, duci, & antesignano apparere? cur talia ei reuelare voluit? nempe, ut salutarem doctrinam verbi Dei per D. Lutherum ab omnibus corruptelis egregiè repurgatam humanis denuo commentis & opinionibus obliteraret. Multos praeterea magnificis praemijs, splendidis promissis luculenta iniecta spe pecuniarum aut opum, aliarumue commoditatum huius seculi, ad defectionem à verbo Dei, ad peccata, ad scelera flagitiaq; cum eodem pugnantia, sollicitare consuevit & impellere. Et quod dignum consideratu est, veneficas suas, magos item, omnesq; sibi confaederatos & coniuratos, quibus cum peculiaria pacta inuit, ante omnia huc adigit, ut Baptismum olim acceptum abnegent, & religiosissimo faederi cum Deo ibidem inuito, planissimè renuncient. Haec aliaq; cōplura eius generis cum sint in vita hominum obuia, eorumq; propè innumera exempla passim experientia oculis subiiciat; iudicio nobis sunt, doctrinam Prophetarum & Apostolorum à Deo ipso esse prolatā, quippe quod immotabilis ille Dei & hominū Aduersarius eam ferre nulla ratione possit. Tot enim seculorum experientia edoctus, non sine dolore recordatur, per hanc doctrinam ingentem hominum multitudinem sibi subtrahatam, & adhuc subtrahi, regnoq; suo hinc vastitatem & excidium certo certius esse metuen-

M 2 dum.

*dum. Quæ verissima causa est, quòd contra eam tantoperè furit ac fremit omnis diabolorum potentia & improbitas; cùm quidem illi maligni demones quasuis alias superstitiones contra doctrinam sacris literis traditam introductas, non modò ferre possint perfacile; sed etiam totis illas viribus longè latèq; disseminare contendant. Quæ res immotam certitudinem Scripturæ huius maiestatemq; plusquàm humanam euidenter arguit.*

ULTIMUM ARGUMENTUM,  
à poenis persecutorum, hæreticorum,  
& contemptorum verbi  
diuini.

*Deniq; sacrosanctum verbum suum à peruersis hominum iudicijs è cælo vindicauit & asseruit Dominus exemplis horribilium poenarum, quas inflixit his, qui vel persecuti sunt doctrinam Euangelij, vel hæreticas opiniones aduersus eam commenti, vel qui vitæ improbitate & grauioribus delictis contra verbum illud peccârunt. Testatur hoc diluuium orbis, quo Deus contemptum verbi à Noë prædicati suffocatione generis humani seuerissimè puniuit. Testis est conflagratio Sodomæ reliquarumq; vicinarum urbium: Testes sunt fatales pœnæ atq; plagæ regni Aegyptiaci:*



ptiaci: Testis est tragicus impij tyranni Pharaonis exitus: & sceleratae factionis, Chore, Datan, & Abyram interitus: Testes sunt Israëlitici populi clades penè innumerabiles; qui toties exterarum gentium gladio obiectus legitur, quoties ferè idolatria, quoties peccatis atrocioribus alijs in sanctam Domini legem peccauit. Testis item est historia de euerso Antiocho; historia de Herode à vermibus eroso; historia de Pilato in exilium eiecto, sibiq; per desperationem manus inferente; historia de Iudæ proditoris abominando exitio; historia de tota ferè gente Iudæorum, obrepudiatum Euangelij verbum abiecta & excisa. Demonstravit Dominus ipsum hoc claris iudicijs suis atq; pænis, quibus magnos illos Ecclesie suæ persecutores potentissimè subuertit, puta Neronem, Maxentium, Iulianum & Apostatam & acerrimum Christiani nominis hostem & infestatorem, qui cum nihil non in perniciem fidei moliretur, in furore summo suo interijt, infesto telo (quod, unde volasset, scire haud poterat) transverberatus, & sanguine, qui è vulnere manabat, sursum proiecto, dicens: Vicisti Galilæe. Sed & in hereticis, qui doctrina, scriptis Prophetarum & Apostolorum tradita, sese hostiliter opponebant, Deus iustæ seueritatis exempla statuit. Vt in Cerintho, qui ruina ædium oppressus perijt:

M 3            in Ario,

in Ario, qui diuina vindicta urgente, sua eiecit  
 & effudit viscera: in Apostatis item, qui veritate  
 caelesti contra conscientiam prodita & abne-  
 gata, pœnas Apostasiae suae, memorabilibus ex-  
 emplis, dederunt tristissimas. Exemplo sunt ata-  
 te nostra Franciscus Spiera, Latomus, Hofmeister-  
 rus, Sixtus Thammerus, & alij. Nec desunt ex-  
 empla pœnarum, quibus manifesto Dei iudicio  
 sunt affecti ij, qui tamen si nec persecutores, nec  
 haeretici essent: vita tamen impia sceleribusq;  
 plena, qua in hoc Dei verbum peccauerant, ex-  
 tremas sibi miseras calamitatesq; accelerarunt.  
 De originali mundo, de Sodomitis, de Chore, Da-  
 ran & Abyram, de Israëlitis dictum paulò antè  
 est. Et haec quidem sunt vetera; scripta verò pro-  
 pter nos, in quos termini aetatum inciderunt, ut  
 Apostolus interpretatur. Interim suppetunt no-  
 bis etiam noua ac propè quotidiana; nimirum, ut  
 Deus homines auaros, ebriosos, blasphemos, fatali  
 pœna saepè sit ultus; quomodo haud rarò ob com-  
 missum periurij scelus, impij repentina morte  
 conciderint; quomodo scelerati in medio aestu fla-  
 gitiorum suorum sint fulminibus deleti, aut à  
 Diabolis abrepti, aut alijs horrendis horrenda-  
 rum pœnarum generibus atq; modis extincti;  
 quomodo item homicidia adulteriaq;, quàmlibet  
 occulta, & remotis arbitris perpetrata, prodigio-  
 sa ra-

SCRIPTURAE SACRAE. 183

*sa ratione sint manifestata, & in clarissimam  
lucem hominum producta.*

*His & innumeris alijs, quae singula sigillatim  
percensere nimis prolixum foret, Deus sui ver-  
bi contemptum & divinae legis transgressionem  
manifestissime puniuit, eiusq; sacrosanctam au-  
toritatem ita caelitus asseruit: ut vel hoc solum  
argumentum summam reuerentiam erga  
diuinum verbum in animis san-  
ciendam abunde suf-  
ficiat.*

FINIS.

FRANCOFORTI AD  
MOENVM, IMPRIMEBAT  
IOHANNES SPIES.



---

ANNO M. D. XCI.

SECRETIVE AT SACRARI

In nomine domini Amen. Nos Johannes Baptista de ...

Magister Johannes Baptista de ...  
procurator ...  
et ...  
et ...  
et ...

Actum in ...  
die ...  
anno ...

FINIS

FRANCOFORDI  
MONTIVM PRIMARI  
IOHANNES SPIES



NOVO M. D. C. C.






AB: 40  $\frac{16}{h, 9}$

ULB Halle 3  
003 003 493




86





FRAN  
EG  
S. 7  
CERT  
AVT  
SAN  
D



Farbkarte #13

B.I.G.

Inches

Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

